D. IOANNIS

MOLANI


SACRÆ THEOLOGIAE LOVANII PROFESSORIS, PONTIFICII ET REGII LIBRORVM CENSORIS, libri quinque.

DE FIDE HÆRETICIS SERVANDA,

TRES.

DE FIDE REBELLIBVS seruanda, liber vnus, qui est quartus.

Item vnicus,



DE FIDE ET IVRAMENTO, quæ à Tyranno exiguntur, qui est quintus.

Cum triplici Indice, Capitum, Scripturarum, ac Rerum.

COLONIAE,

Apud Godefridum Kempensem,

ANNO CIƆ. IƆ. LXXXIIII.

REVERENDISSI-
MO IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO SVO, IOHANNI HAVCHINO, ARCHIEPI-*scopo Mechliniensi.*



CVM iampridem REVERENDISSIME DOMINE, Dei benignitas te ad Archiepiscopalem cathedram Mechliniensem, (quæ ex ordinatione Pij quarti dignitate in Belgio prima est) vocauerit; ego tuæ Dignitati non modò congratulari, sed etiã condolere cupio. Nam si omni tempore verum sit quod Tridentini Concilij Patres professi sunt, Ecclesiarum regimen onus esse angelicis humeris formidandum, non miror Paternitatem Vestram paulò antè consecrationem suam ad me scripsisse, se plus ponderis quàm humeri sustinere queant, ante oculos videre: & Deum nouisse, qui renes & corda scrutatur, quàm inuitè humeros sustinendæ tantæ moli subijciat. Nam florentes quondam tuæ diœcesis vrbes, Sess. 6.

Mechlinia atque Bruxella, ſub iugo barbarico hæreticorum, omnibus ſacris prophanatis, turpiter adhuc gemunt, & vbique tāta eſt per tuam diœcesin, atque prouinciam, belli inteſtini, quod hæreſis parit, pernicies, vt pleriſque in locis Catholici abſque Paſtore & ſacerdotio viuere cogantur.

Cæterùm & nobis & tibi congratulamur quod Dominus Deus te delegerit in numerum magnorum ſacerdotum, qui in tempore iracundiæ facti ſunt recōciliatio, & quos Deus magnificauit in conſpectu Regum: quodque ſupremus Paſtor tibi dicat, Amas me, paſce oues meas, in Epiſcopatu Mechlinienſi. Hactenus Decanus Eccleſiæ Bruxellenſis, non modò in iudicijs, ſed in omnibus ferè negotijs Eccleſiaſticis, vicariam operam Cardinali GRANVELLANO, anteceſſori tuo, impendiſti. Nunc omnem curam Deus humeris tuis impoſuit. Et credo ſub ea ſuccumberes: ſed ſperamus de diuina miſericordia quod officium impertiendi, meritum erit accipiendi. Dabit quoque tibi Louanium, anteà

Eccleſ. 44

Aug. epiſt. 324.

ſtudio-

ſtudiorum tuorum pia mater, nunc verò Paternæ tuæ ſolicitudinis filia, multos fideles cooperarios, quos magno te zelo expetere, publicè ac priuatim, non modò verbis, ſed & rebus, declaras.

Itaque vt erga Epiſcopum animæ meæ, & beneuolentiæ & debitæ reuerentiæ ſymbolum aliquod exhibeam, idque ex more Scholæ ſcholaſticum, & noſtræ profeſſioni congruum, hos quinque De fide ſeruanda libros, opus exiguum, ſed quod multi Theologi & Iuriſconſulti hoc tempore vtiliter edendum eſſe iudicarunt, ſub nominis tui patrocinio edo ac publico: reliquorum editionem, quæ in hoc triſti Vniuerſitatis noſtræ otio, ad publicam vtilitatem conſcripſi, nonnihil differens, propter temporum, in quæ incidimus, calamitatem.

Rogare autem non ceſſabimus Dominum Deum, vt Tua ac cleri tui opera nauiculam Mechlinienſem, multis fluctuum procellis agitatam, in portum priſtinæ & auitæ religionis reducere dignetur. Clementiſſimus

Deus Tuam piam ſolicitudinem; ſua gratia adiuuet, atque confirmet: & diu nobis incolumem conſeruet. Vale, Louanij, anno 1584. Kalendis Martij.

V.ᵃ R.ᵐᵃᵉ G.ᵃ

ſeruus,

Totus Molanus.



CAPITA LIBRI PRIMI, DE FIDE HAERETICIS SERuanda.

Ex

CAPITA LIBRI II. de Ioanne Huſs.

CAPITA LIBRI III.

De Obiectionibus.

Solui-

CAPITA LIBRI IIII.
De fide Rebellibus seruanda.

CAPITA LIBRI V.

De fide, & iuramento, quæ à tyranno exiguntur.

An

DE FI-



DE FIDE HÆRETICIS SERVANDA, LIBER PRIMVS.

Vnde Hæretici dicant Catholicos docere fidem hæreticis seruandam non esse. *Caput I.*





QVI nostris temporibus Catholicæ religionis pacem & tranquillitatem, non modò falsa doctrina, sed etiam armis, seditionibus, rebellionibus, & omni impietatis genere oppugnant, ij non tam amore suarum opinionum, quàm quod ex bello cauponentur, in tot & tantorum scelerum barathrum ruunt, & secum multos alios miserè perdunt. Cùm enim in sacris literis describantur, seipsos amantes, & pascentes, cupidi, in auaritia fictis verbis negotiantes, & cor in auaritia exercitatum habentes, non mirum est ex hoc auaritiæ morbo, quo Sapiens nihil scelestius esse scripsit, reliquam vitiorum sentinam deriuari. *In nouißimis enim diebus, vt in nascentis Ecclesiæ primordijs prædictum est, instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites,*

2.Tim.3. *Iudæ* *2.Pet.2.* *Eccles.10.* *2.Tim.3.*

sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cœci, & voluptatum magis amatores, quàm Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

Primo loco Apostolus meminit eos esse seipsos amantes, cupidos: postremo verò loco addit, eosdem speciem quidem pietatis habere: sed virtutem eius abnegare: vt facilè intelligas, vrbes, populos, & prouincias, perfidiæ suæ contagio eos maculare, labefactare, & euertere, non zelo religionis. verùm quia, tanquam animalia ventris, secundum desideria sua, in auaritia, & reliquis impietatibus, ambulare volunt, occupant amplissima bona Ecclesiarum, monasteriorum, sacerdotum, & aliorum catholicorum. Et vt hæc inuadant innumera sacrilegia, & horrenda peccata, in Rempublicam, in catholicos principes, in religionem, & Deum perpetrant. Non mirum est, cœcos & cœcorum duces, qui nec homines, nec Deum reuerentur: qui multa iniustè & nefariè possident: qui maximis sceleribus sunt illaqueati, nihil nisi bellum spumare: eosque ex tanta impietate, nominis sui celebritatem aucupari. Quomodo apud Lucanum Cato loquitur, *Lib. 2.*

Summum Brute nefas ciuilia bella fatemur:
Sed quo fata trahunt, virtus secura sequetur:
Crimen erit superis & me fecisse nocentem.

Quia itaque istiusmodi hominum meticulosa & vulnerata conscientia, atque insatiabilis cupiditas, ne pax fiat, omnia turbare mauult, passim ab eis disseminatur, nullam concordiæ

cordiæ rationem, nullos pacis, æquitatis, & honestatis, articulos, vtiliter cogitari, aut concipi posse, eo quod sui aduersarij, contra quos arma sumunt, doceant nullam hæreticis esse fidem seruandam. Quod cum illi ea probabilitatis specie ex Concilio Constantiensi, & aliundè afferant, vt etiam doctis quibusdam id persuadeant: alijs verò quibusdam, quibus id nō persuadetur, rationes & argumenta desint, quibus eorum temeritatem refellāt: mei officij & obsequij erit, huic pestilentissimo malo aliquot libris occurrere, & Christianæ Reipublicæ innocentiam aduersus eorum iniurias tueri, & vindicare. Quod vt competēti ordine faciam, primus liber continebit sanam de fide, quæ hęreticis datur, doctrinam. In secundo libro, causa Ioannis Huss discutietur: in tertio argumenta, quæ vel ab aduersarijs proponi animaduerti, vel pro eorum causa à me producentur, qua potero breuitate, & claritate, dissoluam. Quarto libro contra Bodinum & sequaces tractabo, rebellibus fidem promissam seruandam esse. Quintus liber adijcietur occasione iuramenti Antuuerpiensis, quod pseudoduci Brabantiæ præstitum est.

Veritas à principe est excolenda.
Caput II.

VT igitur à sana doctrina exordiar, pulchrè inter Græcos scribit Aelianus sophista, principem oportere circa collū imaginem ex sapphyro gemma confectam gestare, quæ vocatur Veritas. Eundem in modum *Lib. 4. Variæ historiæ.*

docent Iurisconsulti nullam rem vehementius Rempublicam continere, quàm fidem: & nihil esse in principe quod lumine clariore fulgeat, quàm rectam fidem.

Premus de securitatis promissionibus, et fide publica In cuius admonitionem Principibus liber Euangeliorum sub diuinis mysterijs osculandus porrigitur, vt fidem & veritatem perpetuò excolere meminerint. Exemplo Iosue, qui meretrici, & Gabaonitis, fidem seruauit. Exemplo *Iof. 2.9.* quoque Dauidis, qui eandem seruauit Semei, *2.Reg.19.* homini seditioso & maledico.

Ideoque prudentissimi Reges maximè adlaborant, vt non tantùm à fidei violatione, sed etiam à violationis suspicione, immunes habeātur. Inter quos fuit augustissimus Imperator. *Zenocarus lib.1. vitae Caroli.* Carolus quintus, qui à Ludouico Palatino Rheni, interrogatus, cur Luthero fidem nō violaret, respondit, fidem rerum promissarum, etsi toto mundo exulet, tamen apud Imperatorem consistere oportere.

Et quid de fide publica dico? etiam in priuatis colloquijs, & nudis promissionibus, omnes quidem, maximè tamen Reges & Principes, dedecet mendacium. Id enim à sapientissimo rege significatum est, vbi ait, *Non decet principem* *Prou.17.* *labium mentiens.* Et quia boni principes nihil minus quàm non veraces haberi volunt, inde natum est commune dictum, Verbum Regis, est *Epist.38.* sigillum Regis. *Apud Comitem Theobaldum*, ait Bernardus, *est, & non, nequaquam patienter audimus: cui vt dicitur, simpliciter dicere, iurare est: & leue mendacium, graue periurium imputatur. Inter*

t er plurima quippe virtutum insignia, quæ vestram plurimum nobilitant dignitatem: & vestrum per orbem clarum reddit, & celebre nomen, præcipuè laudatur in vobis veritatis constantia.

Refert Aeneas Siluius Sigismundum Imperatorem exigenti veterano militi promissa, dixisse, *At immoderata fuit petitio tua:* respondisse verò militem, *Poteras negare cùm peterem: nunc sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non poteris.* Tunc Sigismundus: *Si ex duobus alterum me ferre oportet, facilius rerum, quàm famæ, iacturam subibo.* *Lib. 3. Cõmentar. de gestis Alphonsi.*

Simile ferè exemplum legitur apud Ioannem Zonaram. Leonem, recens imperium adeptum, crebris flagitationibus vrgebat Aspar, vt quemadmodum promisisset, alterum filiorum suorum Cæsarem appellaret. Cùm cunctaretur, purpura eius prehensa, *Imperator*, inquit, *hac veste indutum, mentiri nefas est.* Cui respondit ille. *Etiam cogi, & instar mancipij trahi, nefas est.* Sed cum tandem resistere non posset, necessitati cedens, filium illius è patricio Cæsarem fecit. *Tom. 3. Annalium.*

Quam impius sit Nicolai Macchiauelli de Principe liber.
Caput III.

QVamuis autem Sapiens dicat non decere Regem labium mentiens, Nicolaus tamẽ Macchiauellus in libro quem Thusca lingua scripsit de Principe, in eam prorupit insa- *Prou. 17.*

niam, vt Principem velut Centaurum, semihominem & semibestiam esse velit: vt faciē quidem præ se ferat humanam, humanos simulans mores, sed re ipsa, violentia nimirum, & fraude, leonem & vulpem agat. Siquidem multotiens pacem & fœdera, iam contracta, principum infidelitate irrita facta esse testatur, & illis magis prosperè successisse, qui magis vulpino astu valuerint. Oportet ergo iuxta eum, principem hoc vulpis ingenium vafrè coloribus tegere, & esse simulatorem, ac dissimulatorem, quia nunquam desunt colores, ac subterfugia, ad excusandam perfidiam: *Non est*, inquit, *necesse Principi reipsa habere virtutes, pietatem, fidem, humanitatem, religionem, integritatem: sed eas simulatione præ se ferre necesse est. Imo ausim*, ait, *dicere, habere illas, & semper obseruare, damnosum esse, cùm sit nouo Principi sæpe necessarium operari contra fidem, contra charitatem, contra humanitatem, contra religionem. Quare oportet Principem ita animo esse compositum, vt quo flauerint venti, & quo fortuna impellit, eò se vertat, & cùm fuerit necessitas, operetur malum.*

In libro de libris à Christianismo eliminandis. Hæc, & id genus alia, diabolica, ab isto perfido, & pestilentissimo perfidiæ doctore, multos iam annos prostant, ait Catharinus, publicè venduntur, legũtur, cum plausu & laude à quibusdam suscipiuntur: &, quod est lachrymabilius, non desunt, vt fertur, qui hanc impiam, ac scelestissimam, nec minus pestilentem doctrinam, opere ipso compleant.

Nomen eius legitur apud Paulum Iouium, medi-

medicum, poſtea tamen Epiſcopum, in doctorum virorum Elogijs: & Typohraphi quidam Baſilienſes & Francofurtenſes opus hoc de Principe in Latinam & Alemannicam linguam translatum, ſuis characteribus magis propagarunt, cùm antea tantum Italicè legeretur. Cæterùm auctorem ipſum, cum ſcriptis, primùm Romani, deinde Tridentini Cenſores, damnarunt. *Litera N, claſſe 1.*

Quid enim magis alienum eſt non ſolùm à Chriſtiana doctrina, ſed etiam ab humano & naturali lumine, quàm hominem, ſuæ naturæ oblitum, leonis & vulpis naturam vſurpare? Lōgè aliter Marcus Tullius de re propoſita ſcripſit: *Cum duobus modis, id eſt, aut vi, aut fraude, fiat iniuria, fraus, quaſi vulpeculæ: vis, leonis videtur. Vtrumque ab homine alieniſſimum, ſed fraus odio digna maiore. Totius autem iniuſtitiæ, nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum, cùm maximè fallunt, id agunt, vt viri boni eſſe videantur.* *Lib. 1. Officiorum.*

Veras virtutes à Principe excolendas eſſe.

Caput IIII.

NOn eſt neceſſe, ſecundum impij & athei Macchiauelli doctrinam, Principem, re ipſa habere virtutes, pietatem, fidem, humanitatem, religionem, integritatem, ſed eas ſimulatione præ ſe ferre neceſſe eſt. Verùm Scriptura ſacra frequenter hypocritam, & duplices corde, dānat. Scribit ſapientiſsimus rex

Prou.16. Salomon, *Abominabiles Regi qui agunt impiè, quoniam iustitia firmabitur solium.* Et iterum: *Aufer ru-*
Prou.25. *biginem de argento, & egredietur vas purißimum. Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius.* Notißima est etiam Ecclesia-
Eccles.10. stici sententia, *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.*

Transfertur autem regnum, aliquando propter Regis, aliquando propter regni & populorum impietatem, & peccata. Qua de re multa in sacris literis, & in Ecclesiasticis historijs, exempla occurrunt.

Quod verò Macchiauellus addit, illis magis prosperè succeßisse, qui pacem & fœdera contracta vulpino astu irrita fecerunt, quis hoc credat, cùm Scriptura doceat, vt modò memini, iustitia firmari solium, & thronum: propter iniustitias verò, & diuersos dolos, regna transferri? Aliquando tamen via impiorum prosperatur, Deo & suos castigante, quos diligit: & in alios maximè irato, quorum viam prosperat. Vt igitur demus perfidos aliquoties magis prosperari, quàm bonæ fidei homines, quid hoc ad rem facit? Filios dico suos Deus in hoc mundo flagellat, purgat, & castigat, vt non cum mundo damnentur. Alia verò est ratio impiorum,
Hier.12. de quibus Hieremias dicit, *Quare via impiorum*
Psal.72. *prosperatur?* Et Dauid, *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Hi enim maximi peccatores, tunc maximè à Deo in hac vita puniun-

puniuntur, quando eos impunitos in suis sceleribus prosperari sinit. *Magna,* ait Hieronymus, *ira est, quando peccantibus non irascitur Deus.* Vnde & in Ezechiele ad Hierusalem, *Iam,* inquit, *non irascar tibi: zelus meus recessit à te.* Prudenter proinde quando inter Græcos perdita religione imperium declinabat, pater, Ioannem, iuuenem & inconstantem Imperatorem, monebat, fœdorum religionem nec temerandam, nec violandam esse: & qui id fecisset, nihil boni ei vnquam euenturum. Rectè, si quod enim temporale bonum ei eueniat, id potius ex ira Dei conceditur. Aliquoties enim lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira: sed tunc tarditatem, supplicij grauitate compensat.

Epist. 33. ad Castrutiũ. *Ezech. 16.* *Laonicus lib. v. de rebus Turcicis.* *Valerius libro 1.*

Mentiendum nunquam esse.
Caput V.

INter veras autem virtutes etiam veracitas numeranda est. Mendacium enim, linguæ, peccatum, virtuti veracitatis opponitur. Esse autem omne mendacium peccatum ex sacris literis manifestum est: vbi hæc, & similia, leguntur, *Mendacium fugies. Non mentiemini. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Os quod mentitur occidit animam. Noli velle mentiri omne mendacium.*

Exod. 23. *Leuit. 19.* *Psal. 5.* *Sapient. 1.* *Ecclesi. 7.*

Neque desunt efficaces rationes. Primùm, omne mendacium prauum esse ex sua natura, quia est falsi assertio, etiam gentiles Philoso-

phi agnouerunt. Deinde aduertendum eſt naturalem mendacij effectum eſſe decipere proximum, quod malum eſt. Quam rationem illiciti reſpexiſſe videtur Apoſtolus, præcipiens Epheſijs deponere mendacium: loqui veritatem cum proximo ſuo. Subdit enim pro ratione. *Quoniam ſumus inuicem membra*. Et ad Coloſſenſes ſcribens, non dixit: Nolite mentiri, ſed *Nolite mentiri inuicem*. Reſpexit enim ad deceptionem, quæ quantum ex ipſo actu eſt, mendacium conſequitur. Quomodo Auguſtinus quoque oſtendit malitiam mendacij, ſcribens ad Conſentium. *Quiſquis eſſe aliquod genus mendacij, quod peccatum non ſit, putauerit, decipit ſeipſum turpiter, cùm honeſtum ſe deceptorem eſſe arbitretur aliorum*. Rurſus, ſi mendacium aliquando eſſet licitum, Deus mentiri poſſet. Quod blaſphemum eſt, & piæ aures audire horrent. Nulla enim tunc eſſet fidei certitudo, nulla dogmatum ſtabilitas, nulla fideli animo ſolida aut tranquilla religio, cùm animus humanus, naturaliter omnem deceptionem abhorrens, etiam à ſumma veritate decipi timeret. Hinc Apoſtolus ad Hebræos ſcribit, *Impoſsibile eſt Deum mentiri*: Et Auguſtinus ad Catechumenos: *Si falli poſſet, ſi fallere, ſi iniquè agere, non eſſet omnipotens*. Pręterea, ſi per ſe, nec malum eſſet mendacium, nec laudabilis eſſet veritas, ſtultè Dauid, & omnis Scriptura, Deum, & Sanctos, veraces eſſe prædicaret. Denique, Diabolus cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius. Sed bonum eſſe non poteſt

Epheſ.4. *Coloß.3.* *De mendacio c. 21.* *Hebr.6.* *Lib. 1. de ſymbolo, cap. 1.* *Ioan 8.*

test, quod est proprium Diabolo, cuius ipse author est, & inuentor.

Dicamus igitur cum Augustino, qui contra Priscillianistas, duos scripsit ad Consentium libros, vnum de mendacio, alterum contra mendacium: *Nihil iudicandus est dicere, qui dicit aliqua iusta esse mendacia, nisi aliqua iusta esse peccata: ac per hoc, aliqua iusta esse, quæ iniusta sunt.* *Cōtra mēdacium cap. 15.*

Consentientes autem hac in re Diuo Augustino Patres, (quorum non pauci, inter quos sunt Toletani octaui Concilij antistites, cum magno elogio, eius verba, & doctrinam, citāt) non est necesse citare: eo quod Innocentius tertius post eum clarè definiuerit: Scripturam sacram prohibere pro alterius vita mentiri. Denique his accedat quod omnes Theologorum Scholæ, Augustini & Innocentij doctrinā insequentes, eam ex Sacris literis, & solidis rationibus defendant, neque pro seruanda pudicitia, neque pro vita temporali tuenda, neque vlla omnino alia de causa, mentiri permittant. *Cap. 2.* *De vsura. c. Super eo.*

Quæ omnia diligentissimè à nobis consideranda sunt; tum vt intelligamus quàm graue peccatum sit fidem publicam violare, quando ne mentiri quidem vlla ex causa liceat: tum etiam vt retundatur carnalis quorundam sensus, qui putant officium charitatis & prudentiæ aliquando exigere, vt, aut nos ipsos, aut alios, mentiendo iuuemus.

Malè

Malè Platonem docere Rempublicam administrantibus mentiri licere, vel hostium, vel ciuium caussa.

Caput VI.

Augušt.4. Ethic.c.7. LOngè scio aliam esse Platonis, in libris de Republica, doctrinam. Is enim, etsi, cum Aristotele, putet mendacium ex sese prauum esse, & fugiendum: docet tamen Rempublicam administrantibus mentiri licere, vel Lib.3.de Republica hostium, vel ciuium caussa, ad communem vtilitatem. Concedit etiam publicis medicis, vt mendacio pro medicamento vtantur: priuatis autem hominibus, minimè.

Quæ sententia multorum fuit qui Christũ non agnouerunt. Nam Sophocles in Creüsa scribit, *Haud quidem honestum est mendacia loqui. Cui tamen diram perniciem veritas adfert, huic venia danda, licet inhonesta loquenti.* Qualia & alij elocuti sunt à Ioanne Stobæo citati.

Verùm mirum non est homines gentiles hac 1.Cor.2. in parte aberrasse. *Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia.*

Vt non modò mirum, sed etiam stupendum sit, inueniri potuisse quosdam inter Christianos, qui Platonicum illud dogma defenderint, Rom.2. cum clarè ab Apostolo scriptum sit, non esse facienda mala, vt eueniant bona. Inter istos fuit Origenes, hac in parte ab Hieronymo notatus.

Vtrum-

Vtrumque secutus est Casianus collator. Cui nuper, in censorijs ad eum notis, responsum est. Sunt & alij quidam, sed obscuri, mendaciorum patroni. Inter quos est Pseudoabdias Babylonius, apud quem in vita Matthæi Euangelistæ legitur, *Frequenter etiam mendacium, cùm per naturam suam malum sit, bonum fieri videtur ex causa.* Sed meminisse oportet hos scriptores, aut hæreticos, aut apocryphos, in Ecclesia iudicari. Et communem Ecclesiæ doctrinam tam esse claram, contra quoscunque obscuros mendaciorum patronos, vt priuati errores non debeant in præiudicium, aut in calumniam communis sententiæ, à quoquam allegari. Illud magis miror Marcum Marulum in libro quarto de Institutione religiosè viuendi à Casiano deceptũ esse. Sed vnius aut paucorum lapsus veritati non præiudicat.

Apol. 1. cõtra Rufinũ

Casia. collat. 17.

Cuijckius Censura 21.

Falso à quibusdam dici, dum bella vigent, vtendum esse mendacijs.

Caput VII.

IMprobum proinde est quorundam prouerbium, *Dum bella vigent, vtendum esse mẽdacijs.* Cuius dicti cum alicubi mentionem fecisset Aeneas Siluius, pulchrè subiecit, *Sed sunt omnes pusillanimes, vitiosi, perfidi, scelesti, qui mendacio se potius, quàm veritate, defendunt.* Socrates in iudicio reus, mori potiùs voluit, quàm falsitatis plena Aeschinis oratione liberari. Abiectę cõ-

Epist. 86.

ditionis

ditionis eſt homo, qui ne quid dignitatis vel fortunarum amittat, ad mendacia confugit.

Eſa. 28. *Ierem.* 7. Sanè cùm ſancti Prophetæ acriter eos reprehendant, qui mendacium ſpem ſuam ponunt, & in ſermonibus mendacij, quàm in Deo vero, confidere malunt, facilè intelliget Catholicus Princeps, omne mendacium, ex aulis, & caſtris, diſturbandum eſſe.

Inſidias & diſsimulationes à mendacijs diſcernendas eſſe.

Caput VIII.

OBſcurum eſt autem quorũdam iudicium, qui inſidias militares, medicorum & Iudicum diſsimulationes, à mendacijs diſcernere nequeunt. *Ioſue* 8. Ioſue dux iubente Domino poſuit inſidias contra ciuitatem Haij, eamq́ue, *Au. quaeſ. 10. ſuper Ioſue.* ſimulans metum & fugam occupauit. Nihil enim ad iuſtitiam intereſt, cùm quis iuſtum bellum ſuſceperit, vtrum aperta pugna, an inſidijs vincat.

3. Reg. 3. Et Salomon infantis viui interfectionem, iuri naturali & diuino contrariam, mandauit, non quod eam exequi vellet vir Sapiẽtiſsimus: ſed vt veritatem rei incertæ, ex coniectura ma- *Sueton. in Claudio, cap.* 15. ternæ dilectionis deprehenderet. Sic Claudius Cæſar, vti Trãquillus commemorat, matrem, negantem quendam iuuenem, qui verè ei filius erat, proprium filium eſſe, coegit ad confeſſionem veritatis, indicto ei cum ipſo iuuene matrimonio. Carolus itẽ magnus certus quod vel pater, vel filius, quos captos detinebat, quen-

quendam occidisset, incertus tamen vter eorum id fecisset, iussit vtrumque suspendi. At cùm pater, qui verè deliquerat, nullam videret redemptionis spem, fassus est, & agnouit propriam culpam: & ita filium ab imminente supplicio liberauit. Eundem in modum docent Iurisc͠osulti licere Iudici vti simulatione aliqua, vt à reo, actoréve, veritatem rei, apud ipsum dubiæ, extorqueat. *Di. Couerruuias lib. 1. resol. ca. 2. §. 16.*

Huiusmodi autem bellica stratagemata, cæterasq; dissimulationes, (quali etiam Christus Saluator vsus est, quando finxit se longius ire,) non sunt mendacia, eò quòd in eis, remoto omnis falsitatis crimine, sola veritas occultetur. Quod sæpe iustis ex caussis fieri potest. Qua de re pulchrè, & eruditè scripsit Augustinus, in libro contra mendacium, capite decimo, & sequentibus: & aliquantò breuius ad finem libri secundi quæstionum Euangeliorum. *Luc. 24.* *August. Tom. 4.*

In promißis fidem seruandam esse.
Caput X.

CVm autem ex nulla caussa, priuata aut publicâ, quantnmcunque ardua, secundum sanam doctrinam mentiri liceat, indubitatum est, in ijs quæ promittuntur, fidem seruandam esse. Qui enim quod promisit, non præstat, mendax est.

Ideoque Gregorius magnus ad Ianuarium Episcopum Caralitanum pulchrè scripsit, *Studiosè ag͠edum est, vt ea quæ promittuntur, opere compleantur.* Quam eius breuissimam sententiam *Lib. 8. Epistol. 38.*

Grego-

Tit.35. De Actis. Gregorius quoque nonus libro primo Decretalium inseruit.

Et hæc de fide & perfidia doctrina, tam est omnibus, ex iure naturali, & diuino impressa, vt, etsi à quibusdam disputetur an hosti, an hæretico, fides sit seruanda, ab omnibus tamen, veluti res certissima, & omnium iudicio impressa, teneatur, fidem seruandam esse, nisi legitima obsistat exceptio.

Verùm hac in parte non est à nobis laborandum, cùm paulò pòst etiam hosti, & hæretico, fidem seruandam esse, asseremus.

Sed dolendum est nos in eam incidisse temporum miseriam, vt quod Christus dixit, *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* (Luc. 18.) videatur non tantùm de Catholica & Christiana fide intelligendum esse, sed etiam extendi posse ad illã fidem, quã homo homini promittit, & promissam præstare tenetur. Tam rara est enim ista fidelitas, vt eam filius hominis ægrè inuenturus sit in terra.

Et quid miramur, hanc fidelitatem in terra rarescere, cùm mundus hæresibus impleatur? Perfidiæ namque istud venenum, non iam velut cancer serpit, sed, sicut vastum incendium, multas Respublicas labefactat, & euertit. Tanta autem rerum omnium perturbatio, & fundamenti Christianæ religionis, quod est fides, euersio, frequentem gignit mutuæ fidelitatis præuaricationem, iuramentorum irritationem, fœderum ac pactorum violationem. Quæ enim fidelitas ab eis est exspectãda, qui fide abnegata, Deo sunt infideles? Dicant, qui audent,

dent, huiuſcemodi homines ſanctè & inuiolatè pacta ſeruare. Ego non ſolùm ex Arianorum, & omnium ferè ſectariorum hiſtorijs, ſed etiam ab ipſo Apoſtolo didici, eos eſſe mendaces, ſine affectione, ſine pace, criminatores, proditores. 2.Tim.3. Gentiles in reprobum ſenſum datos, Apoſtolus deſcribit, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia. Rom.1. Hi verò fidei noſtrę deſertores, quantò ſunt grauiores Chriſtiani nominis, atque deſertæ religionis hoſtes, tantò ſunt in huiuſmodi ſceleribus audétiores & nequiores.

Vtinam autem perfidia, & infidelitas, inter ſolos hęreticos regnaret, & à Catholicis omnibus exularet. Sed nimis verum eſt, quod Franciſcus Petrarcha, in libro primo de remedijs fortunæ, exclamat. *Ea vtinam innocentia, atq; ea mortalibus fides eſſet, vt & nunquam niſi honeſta promitterent, & ſemper promiſſa ſeruarēt. Nunc nec promittendi modus, nec promiſſa frangenti pudor vllus.* Dial.110.

Imo quidā adeò ſunt excœcati, & hac in parte velut in atheiſmum prolapſi, vt dicāt fidem frangere, non fraudis eſſe, ſed aſtutiæ. Contra quos idem Petrarcha, in ſecundo eiuſdem operis libro ſcribit: *Sunt qui fidem frangere, non fallere dicant eſſe, ſed plus ſcire, & eſſe ingenij.* Dial.28. *Quæ licet vulgò multorum hodie ſit opinio, & multorum vox: apud Lactantium nominatim Mercurio tribuitur dicenti, ſicut ille ait, nō fraudis eſſe decipere, ſed aſtutiæ.* Diui. inſt. lib.5.c.10.

Hæc autem nimis impia ſunt, cùm omnia iu-

ra, Theologicum, Canonicum, Ciuile, imò & ius gentium, quod etiam infidelibus à natura insitum est, perfidiam inter scelera damnent.

Non igitur temerarij sumus, aut in promittendo, aut in promissis non seruandis, sed meminerimus vulgati versiculi,

Verba ligant homines: taurorum cornua funes.

meminerimus fidem à fiendo nomen habere, dicēte Marco Tullio, *Credamus quia fiat quod dictum est, appellatam fidem. Quæ est dictorum, conuentorumque constantia, & veritas.*

Lib. 1. Officiorum.

Meminerimus Salomonis esse sententiam: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus.*

Prou. 6.

An rectè nonnulli dicant; Promisi, sed non iuraui.

Caput X.

AVdias tamen nonnullos dicentes, *Promisi, sed non iuraui.* Ac si dicere velint, animum donandi, vel faciendi, sese nunquam habuisse: aut, si eum aliquando habuerint, ab eo se liberè resilire, quod promissionem suam, iureiurandi sacramento interposito, non confirmauerint. O carnalem hominis cogitationem: vbi cum mendacio concurrit liberalis animi hypocrisis, quæ postea absq; rubore, cum perfidia detegitur.

Alij verò sunt, qui sanctæ sibi congratulantur, quod coacti promittere, non sint coacti iurare.

rare. Hi rectè dicunt, *Promisi, sed non iuraui.* Distinguunt enim Theologi, & Iurisperiti, apud quos in vtroque iure titulus extat, *De his, quæ vi, metusúe caussa fiunt:* imo & Alexander tertius, in Capitulo *Debitores*, inter iuramentum coactum, & promissionem coactam. Per iuramentum docet nos Deo obligari: promissionis verò obligationem docent per coactionem tolli: eumque qui vim intulit, mereri vt ei promissum non seruetur.

Tit. de iure iurādo.
Tho. 22. q. 89. ad 7.

Est autem Alexandri resolutio, breuis & lucida: *Debitores*, inquit, *ad soluendas vsuras, in quibus se obligauerant, cogi non debent. Si verò de ipsarum solutione iurauerint, cogendi sunt Domino reddere iuramentum. Et cũ vsuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas Ecclesiastica sunt seueritate (si necesse fuerit) compellendi.*

Fides an iuramento æquiparetur.
Caput XI.

NEc dictis contradicit Clemens tertius, qui in titulo De his, quæ vi, metusúe caussa fiunt: hunc in modum rescripsisse legitur: *Renunciatio facta ad terrorem laicorum (nisi forte iuramento, vel fide interposita sit confirmata) non impedit quo minus is qui renunciauit Ecclesiæ, ad cuius regimen prius erat electus, præficiatur eidem.* Puto enim Clementem considerasse aliam esse rationem, eius qui fide in-

Cap. Ad aures.

terposita renunciat vi, & metu, qui in virum constantem cadat coactus: ab eo qui idem facit, non ex aliorum coactione, sed (quod hominis imprudentis & inconstantis est,) ex terrore & coactionis imaginatione. Quod Plebano, Ecclesiæ renuncianti, accidere potuit. Ideoque cùm dubitandi vocula Pontifex prudenter interiecit, *Nisi fortè iuramento, vel fide interposita* renunciatio *sit confirmata.*

Video autem nonnullos asserere, Pōtificem hoc loco definiuisse, fidem iuramento æquiparari, & ea æquo libramine procedere. Sed ego id nec dicere, nec ex Clementis verbis colligere ausim, cùm non aliud Pontifex dicat, quàm iuramento & fide interposita renunciationem confirmari posse, nulla facta æqualitatis mentione. Nec video eam æquiparationem probabiliter defendi posse, cùm in iuramento Deus in testem vocetur: fides autem sit non Dei, sed hominum promittentium. Quanquam facilè credam in arduis Reipublicæ negotijs, propter magnitudinem rei, fidem publicam non minorem vim & authoritatem habere, quàm iusiurandum habeat. Vnde Conciliũ Tridentinum, *Seß. 15.* cum Protestantibus, & Germanicæ nationi, plenissimum saluum conductum, & securissimã securitatem daret, dedit eam citra vllum iuramentum per publicum instrumentum. Quam *Seß. 18.* etiam sub eadem forma, & eisdem verbis, ad alias nationes extendit.

In Apologia ad Ioannem Eckium. Nec multo aliter de re proposita Vdalricus Zasius scripsit. *Fidem,* inquit, *distinguimus, quod alia sit simplicis pactionis, de qua totum ius*

ciuile

ciuile loquitur, quoties pacta & stipulationes commemorat. Hæc fides in foro iudiciali iuramento non æquiparatur: quod facile liquerit per Capitulum Quamuis, De pactis, in Sexto, & Capitulum Licet, De iureiurando, libro eodem. Alia est fides, quæ vel sub præstito iuramento, vel sub memoria Dei, Sanctorumve eius, sub fama, sub honoris obligatione, vel sub alia solenni asseueratione, quæ vicem iuramenti referat, promittitur. Hic non repugno, quin fides & iuramentum quo ad obligationem non differant, vt latius Abbas, & Innocentius Cardinalis in Capitulum, Ad aures.

In malis promißis fidem seruandam non esse.

Caput XII.

QVod autem dicitur, in promissis fidem seruandam esse, id locum non habet in malis promissis, dicente Isidoro, *In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretũ. Quod incautè vouisti, ne facias. Impia est enim promissio, quæ scelere adimpletur.* Quò etiam pertinet in fine Decretaliũ regula iuris, *In malis promissis fidem non expedit obseruari:* Et altera, *Nõ est obligatoriũ, contra bonos mores præstitum iuramentum.* In quas regulas, post alios, abhinc paucis annis Petrus Peckius, clarissimus & pientissimus Iurisconsultus Loua-

Lib. 2. Synonymorum.

Li. 6. reg. 69. & 58.

niensis, nunc verò Consiliarius Mechliniensis, Commentarium edidit, ad quem Lectorem remitto.

Lib. 1 Officiorum Cap. 12. Meminit Cicero non semper promissis standum esse, nec semper contra officium fieri, si non facias quod dixeris. Sed liberior est, more gentilium, in his explicandis. Pura verò & syncera est Diui Ambrosij doctrina, qui in tertio libro Officiorum scribit: *Tolerabilius est promissum non facere, quàm facere quod turpe sit. Sæpe plærique constringunt seipsos iurisiurandi Sacramento: & cùm ipsi cognouerint promittendum non fuisse, Sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt: sicut Herodes saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter soluit. Turpe, quod regnum pro saltatione promittitur: crudele quod mors Prophetæ pro iurisiurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tali fuisset periurium Sacramento? si tamen periurium possit dici quod ebrius inter vina iurauerat, quod euiratus inter saltantium choros promiserat. Infertur disco caput Prophetæ, & hoc æstimatum est fidei esse quod amentiæ fuit.*

Matt. 14. Euiratus est mollis & effœminatus.

Epist. 29. Soluere pro frangere. Huc quoque pertinet quod Bernardus ad quatuor Episcopos curiæ Romanæ scripsit, *Probro ducitur apud Francigenas iuramentum soluere, quamlibet malè publicè iuratũ sit, quamuis nemo sapiens dubitet illicita iuramenta non esse tenenda. De duobus non excusamus Regem. Nam & iurauit illicitè, & perseuerat iniustè.* Et, vt muliebre subijciam testimonium, Ottoni Au-

ni Augusto Iutha dixit, *Maritus meus iureiurando astrictus est Teutoniam armis non lacessere. Sed vana religio quæ sceleri locū facit, vim criminibus Sacramenta non addunt. Et promissorem maleficij Diuina maiestas odit, factorem exterminat.* *Aeneas, hist. Bohemicæ, c. 18*

Vnde nata sit disputatio an hosti fides sit seruanda.

Caput XIII.

QVia verò promissa omnia vi obligandi carent, quæ aut in se aut in sua causa turpitudinem habent: nec non & ea, quæ etsi ab initio mala non sint, postea tamen mala fiunt: hinc facilè quidam sibi persuaserunt turpe esse hosti fidem seruare. Cùm enim res abominanda sit perduellem & Reipublicæ hostem esse, qui læsus est, & suos affectus non seponit, nec se prudentium virorum consilijs & iudicijs subijcit, facilè sibi persuadebit se rem malam promisisse, & fidem suam se rescindere posse. Aut si hoc dicere non audeat, ne suum fœdus, pactum, atque promissum condemnet, causari poterit aliquid postea accidisse, per quod omnis ex iuramento, aut fœdere, nata obligatio, sublata sit. Hoc est quod impius Macchiauellus scripsit, nunquam deesse colores, ac subterfugia, ad excusandam perfidiam. *In libro de Principe.*

Fidem frangenti, fides frangitur eidem.

Caput XIIII.

Reg. 75. in Sexto. SAnè cùm inter regulas iuris legatur, *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo seruari, cui fidem à se præstitam seruare recusat*, eodemque spectat vulgaris versiculus,

Frangenti fidem, fides frangatur eidem:

facilè homo fraudulentus, belli & vindictæ appetens, atque libidine dominandi vitiatus: violandi fœderis caussas quærit, & prætexit, vt videatur aliquo honestatis prætextu bellum resumere.

Illud tamen verum est perfidiam perfidia vlcisci semper turpissimum fuisse, ideoque proprietate sermonis, is tantum quo'ad mutua pacta, fidem frangit, qui eam prior frangit: non autem alter, eo quod is à sua obligatione liberatus sit, per eam conditionem, quam fœdera & iuramenta mutua in se includunt. Generalis autem lex est omnium conuentionum, vt nemo illis stare teneatur, nisi ex aduerso in quæ conuenerunt, præstentur. Si autem nesciatur vter prior fidem fregerit, solet dici, ait Aijala, inter paria delicta compensationi locum esse.

Since-

Sincerè fœdera & iuramenta intelligenda esse. Caput XV.

CVm igitur fœderibus,& promissionibus, multis modis illudi possit, meminisse oportet eadem esse,ex fide agere, & ex bona fide agere. Agendum est enim sincerè, omni fraude,& dolo seclusis.

Hoc est,quod de iuramento agens Isidorus, in libro secundo de summo bono, significare voluit,dum scribit: *Quacunque arte verborum quisque iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit.* Cap.31.

Eodem pertinet quod Cicero scribit. *Existunt sæpe iniuriæ, calumnia quadam, & nimis callida, sed malitiosa, iuris interpretatione. Ex quo illud, Summum ius, summa iniuria: factum est iam tritum sermone prouerbium. Quo in genere etiam in Republica multa peccantur, vt ille, qui, cùm triginta dierum essent cum hoste pactæ induciæ, noctu populabatur agros, quod dierum essent cum hoste pactæ, non noctium, induciæ.* Lib.1. officiorum. Is est Cleomenes apud Plutarchũ in Apophthegmatis Laconicis.

Similem ferè solertiam, aut potius verborũ delusionem, refert Flauius Vopiscus. *Aurelianus Imperator, cùm Tijanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixit, Canem in hoc oppido non relinquam. Qua voce milites in spem prædæ erexit. Noluit tamen, cùm Herodamon* In vita Aureliani.

urbem prodidisset, ut diriperetur. *Attamen ne mendacium dixisse videretur. Agite,* inquit, *ad milites, canem negaui me relicturum: canes omnes occidite.*

Lib. 7. c. 3. Et, ut tribus exemplis contenti simus, Fabius Labeo, (quod Valerius Maximus refert,) cũ de victo Antiocho ex fœdere dimidiam partem nauium accipere deberet, omnes medias secuit, ut regem tota classe priuaret.

Lib. 3. Offic. cap 10. & 12. In omnibus igitur, ut Ambrosij verbis utar, *decora est fides, iustitia grata, mensura æquitatis iucunda. Ubique honestatis præponderat consideratio, quæ dolum excludit, fraudem eijcit. Non solum itaque in contractibus, sed etiam generaliter in omnibus, dolus abesse debet: aperienda simplicitas, intimanda veritas est. Purum igitur, ac syncerum, oportet esse affectum, ut unusquisque simplicem sermonẽ proferat, nec fratrem suum circumscriptione verborum inducat. Verum plura de hac Isidori sententia inferius dicenda erunt.*

Lib. 3. cap. 6. & 12. Lib. 4. c. 8

Hosti fidem seruandam esse.

Caput XVI.

SEd fortassis hosti non est necesse fidem seruare? Absit. Aliud enim veritas, fides, & iustitia exigunt. Breuiter Augustinus, (cuius etiam verba in Corpus iuris Canonici relata sunt,) in epistola ad Bonifacium Comitem scribit. *Hoc primum cogita quando armaris ad pugnam,*

Can. 23. q. 1. Noli exis. Epist. 205.

gnam, quia virtus tua, etiam ipsa corporalis, donum Dei est. Si enim cogitabis de dono Dei, non facies contra Deum. Fides enim, quando promittitur, etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur.

Audiamus etiam Ambrosium. *Quanta*, inquit, *iustitia sit, ex hoc intelligi potest, quod nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quæ etiam hostibus reseruatur: vt si constitutus sit cum hoste aut locus, aut dies prælio, aduersus iustitiam putetur, aut loco præuenire, aut tempore.* Et quibusdam interpositis. *Liquet igitur etiam in bello fidem, & iustitiam seruari oportere, nec vllum decorum esse posse, si violetur fides.* Lib. 1. officiorum, cap. 29.

Horum Doctorum sanæ doctrinæ, subscribunt omnes Scholastici Theologi. Quorum sententiam sanctus Thomas his verbis aperuit. *Fides hosti seruanda est, vt Augustinus dicit ad Bonifacium. Sed contra est quod dicit. Cum iustum bellum suscipitur, vtrum aperte pugnet aliquis, an ex insidijs, nihil ad iustitiam interest. Et hoc probat auctoritate Domini, qui mandauit Iosue, vt insidias poneret habitatoribus ciuitatis Haij. Respondeo, dicendum, dupliciter aliquis potest falli ex facto vel dicto alterius. Vno modo, ex eo quod dicitur ei falsum, vel nō seruatur promissum: & istud semper est illicitum, & hoc modo nullus debet hostes fallere. Sunt enim quædam iura bellorum, & fœdera, etiam inter ipsos hostes seruanda, vt Ambrosius dicit in libris de officijs.* In 22. qu. 40. ad 3. Au quæst. 10. super Iosue.

Alio

Alio modo aliquis potest falli ex dicto vel facto nostro, quod ei propositum, aut intellectum non aperimus. Hoc autem semper facere non tenemur.

An fides priuata hosti publico sit seruanda.

Caput XVII.

SEd quæstio est inter iuris interpretes, an fides à priuato hoste pręstita sit seruanda. Bartolus & alij quidam existimant seruandam non esse. Quos Zasius sequitur in opere de Iudæis, & in Apologia, quam liberius quàm Christiana schola permittit contra Ioannem Eckium conscripsit.

De Iudæis quæst. 3.

Cap. 6. Sed contra Balthazar Aijala, libro primo de re militari, eleganter prosequitur, horum sententiam nullis solidis argumentis fulciri, & esse contra veterum exempla, institutaque maiorum, & grauissimorum Philosophorum sententiam.

Tom. 1. fol. 20. Meminit quoque Didacus Couarruuias, Iurisconsultus nostro sæculo clarissimus, & Segobiensis Ecclesiæ Episcopus, Zasium in nimis licentiosa aduersus Eckium doctissimum apologia, hanc sententiam communem asserere. Sed paucis verbis ei respondet, *Horum opinio procederet quando fides data esset in Reipublica damnum. Quo tendunt omnia quæ pro communi opinione Zasius adducit.*

Et Emanuel Soarez à Ribeira in thesauro receptarum

ceptarum ſententiarum, quas vulgus communes opiniones vocat, inter communes ex Zaſio refert ſententias, *Fidem, quam priuatus hoſti dedit, ſeruandam neceſſario non eſſe*. Sed mox ex Didaco addit reſtrictionem: *In cõtrarium, cùm in Reipublica damnum non vertitur. Quam in rem ſubdit, nos alibi multas hinc indè authoritates colligimus: multa ex præclaris rei Romanæ monumentis exempla aduocamus.* Litera f. num. 176.

Neque hîc noui aliquid dicitur, cùm etiam Iuriſconſulti doceant iuramẽtum irritum eſſe quod præſtitum eſt, in præiudicium ſuperioris. Cùm enim Tudertini Conſules ad officium conſulatus aſſumpti, proprio firmaſſent Sacramento, quod ſuper mutuis & plagiarijs ſecundum ſuæ ciuitatis conſuetudinem iudicarent, & intra viginti octo dies iudicata exequerentur, noluerunt interpoſitę in cauſa quadam appellationi deferre, putantes ſe id ſaluo ſuo iuramento non poſſe. Sed Innocentius tertius deſuper eis reſcripſit, *Mandamus quatenus appellationibus ad nos interpoſitis deferatis, cùm prædictum iuramentum vos excuſare non poſſit, in quo debet intelligi ius ſuperioris exceptum*. Eundem in modum in fide priuata ſemper intelligi debet exceptum ius ſuperioris, & ipſius communitatis. Lib. 2. Decret. ti. 24. De iureiurando, ca. 19. Venientes.

Præ-

Præclara in Attilio Regulo fidei constantia.

Caput XVIII.

Cicero. FVit autem memorabilis fidei constantia in Marco Attilio Regulo. De quo Cicero scribit libro primo Officiorum. *Si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserint, est in eo ipso fides conseruanda. Vt primo Punico bello Regulus captus à Pœnis, cùm de captiuis commutandis Romam missus esset, iurassetque se rediturum: primum vt venit, captiuos reddendos non censuit: deinde cùm retineretur à propinquis, & ab amicis, ad supplicium redire maluit, quàm fidem hosti datam fallere.* Et iterum libro tertio: *Marcus Attilius Regulus cùm Consul iterum, in Africa ex insidijs captus esset, duce Xanthippo Lacedæmonio, Imperatore autem patre Annibalis Hamilcare, iuratus missus est ad Senatum, vt nisi redditi essent Pœnis captiui nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is cùm Romam venisset, vtilitatis speciem videbat, sed eam falsam iudicauit. Itaque quid fecit? In Senatum venit. mandata exposuit: sententiam ne diceret, recusauit: quamdiu iureiurando hostium teneretur, non se esse Senatorem. Atque illud etiam (ô stultum hominem dixerit quispiam, & repugnantem vtilitati suæ) reddi captiuos, negauit esse vtile. Illos enim adolescentes, & bonos duces esse,*

isse, se iam confectum senectute: cuius cùm valuisset auctoritas, captiui retenti sunt, ipse Carthaginem rediyt. Neque eum charitas patriæ retinuit, nec suorum. Neque verò tum ignorabat se ad crudelissimum hostem, & ad exquisita supplicia proficisci: sed iusiurandum conseruandum putabat. Itaque tum, cùm vigilando necabatur, erat in meliori causa, quam si domi senex, captiuus, periurus, Consularis permansisset.

Historia hæc celebris est. Meminerunt eius Liuius, Valerius, Horatius, Sillius, Seneca, Plinius, Gellius, & alij plurimi.

Profert verò de terrena ciuitate inter nostros Theologos diuus Augustinus, in libro primo de ciuitate Dei, contra Paganos, hoc nobilissimum exemplum, simulque explicat quod vigilando, eum excogitatis atque horrendis cruciatibus necauerint. *Inclusum itaque angusto ait ligno, vbi stare cogeretur, clauisq; acutissimis vndique confixo, vt se in nullam eius partem sine pœnis atrocissimis inclinaret resectis palpebris etiam vigilando peremerunt.*

Liu. lib. 18. Val. lib. 1. cap. 1. lib. 2. ca. 4. Hora. li. 3. Oda: 5. Sil. lib. 6. Senec. de prouidentia, epi. 99. Plin de viris illustr. cap. 40. Gell. li. 6. cap. 4. Aug 1. de ciuit. Dei, cap. 15. & 24. Orosius li. 4. cap. 10.

Luculentè dici Fidem neque dedi, neque do, infideli cuiquam.

Caput XIX.

Atreus rex id dicit apud Accium refert. te Cic. lib. 3. de Offic.

Caeterum luculentè dicitur, *Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam.* Qui enim

enim ſemel fidem fregit, is indignus eſt cum quo poſtmodum pactum, aut fœdus ineatur. Didicit hoc Annibal. Is enim cum magno Scipioni fidem non ſeruaſſet, atque poſtea tamen pacem, ſeu inducias affectaret, reſponſum accepit, tempus eſſe non de fœdere agendi, in quo ſtare neſciebat, ſed armis decertandi: eumque ingenti victoria deuicit.

Deinde Principe Chriſtiano digniſſimũ verbum eſt, *Fidem neque dedi, neque do, infideli cuiquam.* Exigit enim vera & vnica religio, vt omnes Principes Chriſtiani Eccleſiam contra hæreticos, & eorum complices tueãtur. Hoc enim Principibus cũctis iure diuino præceptum eſt, vt Domino in timore ſeruientes, religionem Chriſtianam ſuo gladio protegant, & promoueant. Sicut ex Scripturis ſacris pulchrè oſtendit beatus Auguſtinus, epiſtola quinquageſima, & alibi. Quo etiam pertinet liber nuper editus à Ioanne Lenſæo, dilectiſſimò, & doctiſſimo confratre meo, cui titulus eſt, *De vnica religione ſtudio Catholicorum Principum in Republica conſeruanda.*

Poſſet & tertio modo ſignificare quiſpiam dum dicit, *Fidem neque dedi, neque do, infideli cuiquam:* fidem ſe nolle ſeruare, quam hæretico, aut cuiquam profano hoſti, dedit. Sed hic ſenſus alienus foret. Quod etiam Cicero notauit, pauculis verbis. *Sed,* inquit, *ſi hoc ſibi ſumant, nullam eſſe fidem, quæ infideli data ſit: videant ne quæratur latebra periurio.*

Lib. 3. Officiorum.

Cum

Cum hæreticis non esse ineunda fœdera, seu amicitias.

Caput XX.

VT autem de hæreticis deinceps loquamur, inprimis ex vtriusque testamenti libris certissimum est, cum ijs qui à fide exciderunt, non facilè fœdera, pacta, aut amicitię vincula, esse ineunda. Ipsius enim Veritatis verbum est, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Et à dilecto discipulo scriptum est. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum: nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Sermo eorũ,* inquit Paulus, *vt cãcer serpit.* Quo pertinet & illud Sapientis, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Et eius generis plurima. Matth. 18. 2. Ioan. 1. 2. Tim. 2. Eccles. 13.

Ideoque etiam populo veteris Testamenti omnis gentium societas prohibita fuit. *Ego eijciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Hethæum, Pherezæum quoque, & Heuæum, & Iebusæum. Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam: sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosq; succide. Noli adorare Deum alienum: Dominus zelotes nomen eius. Deus est æmulator. Non ineas pactũ cum hominibus illarum regionum, ne cùm fornicati fuerint cum dijs suis, & adorauerint simulacra eorum, vocet te quispiam, vt comedas cum immolatis: Nec* Exod. 34.

vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis, ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant in deos
Deu.7.20 *suos filios tuos.* Similia Deuteronomij septimo capite, vbi prædictis gentibus Gergasæi connu
Ios.23.24 merantur, & alibi, leguntur.

Sub septem autem gentibus nominatis, aliàs etiam intelligendas esse, non tantùm clarissimum est ex adiuncta caussa, sed ex duobus alijs sacræ Scripturæ locis. Quorum vnus est in historia Regis Salomonis, vbi legitur: *Rex au-*
3. Reg. 11. *tem Salomon amauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Cethæas: de gentibus super quibus dixit Dominus filijs Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras. Certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini deos earum.*

Alter verò locus est in primo libro Esdræ,
1. Esd. 9. vbi relaxatis è captiuitate Babylonica Israelitis, Principes dixerunt ad Esdram: *Non est separatus populus Israel, & Sacerdotes, & Leuitæ, à populis terrarùm, & de abominationibus eorum: Chananæi videlicet, & Hethæi, & Pherezæi, & Hiebusæi, & Ammonitarum, & Moabitarum, & Aegyptiorũ, & Amorræorum. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi, & filijs suis, vxores, & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum. Manus etiam Principum, & Magistratuum, fuit in transgreßione hac prima.* Quibus auditis Esdras scidit pallium, & tunicam: euellit quoque capillos capitis sui, & barbæ: eoq; orante vt auertatur ira Dei super pec-

cato

cato hoc, & implorante Deum & flente, & iacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israel cœtus grandis. Et fleuit populus multo fletu. Et respondit Sechenias, *Nos prauaricati sumus in Deum nostrum, & duximus vxores alienigenas de populis terræ. Et nunc si est pœnitentia in Israel super hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, vt proijciamus vniuersas vxores, & eos qui de ijs nati sunt. Iuxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri, secundum legem fiat. Surge: tuum est discernere, nosque erimus tecum. Surrexit ergo Esdras, & adiurauit Principes Sacerdotum, & Leuitarum, & omnem Israel, vt facerent secundum verbum hoc. Et respondit vniuersa multitudo tremens pro peccato, iuxta verbum tuum ad nos, sic fiat.* 1. Esd 10.

Meritò proinde rex Iuda à Propheta Eliezar audiuit: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.* 2. Par. 20.

Cùm verò idem Rex ante impio Achab, cui affinitate coniunctus erat, auxilium in bello tulisset reuertenti occurrit Iehu, & ait: *Impio præbes auxilium, & ijs qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: & idcirco iram quidem Dei merebaris: sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, vt requireres Dominum Deum patrum tuorum.* 2. Par. 19.

An nunquam liceat cum profanis fœdus, vel amicitiam inire.

Caput XXI.

SEd contra hęc recalcitrans animus obijcere posset, se hæc non satis intelligere, cùm alibi in Deuteronomio Deus permittat fœdera cum gentibus: & ex numero captiuorum accipere vxorem. Nec desint optimorum Principum exempla. Inter quos sunt Dauid, & Salomon, qui cùm Hiram rege Tyri confœderati fuerunt amici: Iudas quoque Machabæus, & fratres eius, qui cum Romanis constituerunt amicitiam, & societatem.

Deut. 20. & 21.
2. *Reg.* 5.
1. *Mach.* 8

Sed ad singula hæc respondebo. Locus Deuteronomij talis est. *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperierit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est in ore gladij.* Hæc quidem ibi leguntur: sed attende ad ea quæ sequuntur. *Sic facies cunctis ciuitatibus quæ à te procul valdè sunt, & non sunt, de ijs vrbibus, quas in possessionem accepturus es.* Alicubi enim annotauit Augustinus septem gentibus peculiare fuisse, quod Deus eorum terram populo suo in hæreditatem dederit:

Quæst. 21. *in Iosue.*

dederit: ideoque eos vsque ad internecionem deleri volebat, vt non cum eis, sed pro eis, illic habitaret.

Alia verò fuit ratio gentium, quæ procul ab Israelitis habitabant, quas cùm gentiles ad fidem suscipiendam cogi non possent, non mirum est potuisse populo Dei subditas & tributarias viuere. Neque negamus quin tale fœdus cum longè dissitis hæreticis, aut profanis populis, inire ex iusta caussa liceat. Semper tamen quo ad omnes cauendum est, quod de septem populis expressum est: *Ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes quas ipsi operati sunt dijs suis, & peccetis in Dominum Deum vestrum.* Ideoque alia illa fœdera quæ populorum societatem & amicitias admittũt, propter periculum seductionis non sunt admittenda.

Hac etiam de caussa non credo vlli ex populo illo carnali Dominum permisisse vt captiuam ex inimicis gentilibus vxorem ducere, nisi illa vel ad veram religionem trãsiret, vel saltem absque creatoris contumelia cohabitare vellet. Infidelis enim mulier nimis periculosa est suo marito tentatio. *Deut. 21.*

De Hiram autem Tyri rege scriptum est, in tertio libro Regum, fuisse amicum Dauid omni tempore, sed ibidem legitur Dauid habuisse bella imminentia per circuitum. Quare mirari non oportet, sanctum regem, necessitate vrgente, cùm boni nominis, tametsi infideli, rege, in rebus ciuilibus, ijsque paucis, amicitiam fouisse, non in religionis veræ dispendium, sed vt populus Dei minori cum periculo Deo ser- *3. Reg. 5.*

uiret. Attende etiam hanc amicitiam non fuisse populorum, quod periculosum fuisset, sed tantum duorum Regum.

Idem dicendum videtur de pacifico & sapientissimo Rege Salomone, Dauidis filio. Etsi enim ille, à mulieribus seductus, quasdam gentes sibi tributarias fecerit, quas iuxta præceptum Domini delere debuisset, arbitror tamẽ eum non peccasse quando ab Hiram rogatus vt continuaret pacem, quam cum Dauide habuerat, id libens fecit. Itaque amicitiam inter se conseruarunt, Hiram mittendo pro domo Dei ligna Cedrina, & abiegna: Salomon verò rependẽdo triticum & oleum. Quare fœdus hoc quod non inter populos & regna, sed tantùm inter Reges fuit, Scriptura probare videtur, dũ
3. Reg. 5. ait. *Dedit Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei: & erat pax inter Hiram & Salomonem, & percusserunt ambo fœdus.*

Quod verò attinet ad optimos Principes
Blesensis Machabæos, Petrus Blesensis & alij nonnulli
epist. 142. considerarunt eis nihil fœliciter cessisse, post-
1. Mach. 8. quam cum Romanis amicitiam & societatem constituerunt. Ego tamen factum illorum damnare non ausim. Romanos enim socios & amicos esse voluerunt, vrgente necessitate, vt auferrent iugum Græcorum, quod regnum Israel in seruitutem premebat. Præterea, considerabant nomen Romanorum: eosque multa regna & insulas, & metalla auri, atque argenti, in suam potestatem redegisse. Quæ omnia fusè capite octauo in libro primo Machabæorum recensen-

censentur. Tertio attendebant exterminari ab eis illos, qui aliquando restiterant. Quarto, audiebant eos acquiescere ad omnia quæ postulabantur, multosque statuere cum eis amicitias, quas amicis suis, qui in ipsis requiem habebãt, conseruabant. Quinto, considerabant quas virtutes bonas fecerãt in Galatia, & in regione Hispaniæ: quodque suo consilio & patientia obtinuerant regna, quæ erant proxima, & quæ erant longè. His omnibus consideratis iudicarunt Principes viri necessariam esse amicitiam & societatem cum Romanis, vt & præsens Græcorum iugum excuterent: & prudenter sese præmunirent contra alia pericula, quæ porrò à Romanis subsecutura videbantur.

Cunerus Antistes attendit quoque mysterij præfigurationem. Legimus, inquit, Machabæos viros fideles & sanctos, Romanorum infidelium amicitiam & societatem ambiuisse, & recepisse: sed in eo quod bonum, iustum, & honestum erat, sine aliqua religionis commixtione, cõfusione, vel societate, Spiritu sancto per hoc factum præfigurante, aliquãdo futurum, quod omnis Israel, hoc est, tota fidelium multitudo & Ecclesia Christi in vnius Romanæ Ecclesiæ communione & societate Deo militaret. *De officio Principis cap. 9.*

Liberam religionem à nullo Principe admittendam esse. *Caput XXII.*

QVidam autem sunt vsque adeò in proprij regni sui viscera impij & crudeles, vt cũ

nihil adeò frangat & euertat regna ac prouinçias, atque falsa religio, audeant, nulla adacti necessitate, non solum cum profanis vicinis fœdera & amicitias inire, sed etiam sub specioso titulo liberæ religionis, diuersas & pugnantes religiones impunè in sua ditione permittere.

Perdidit & attriuit hoc scelus populum Israeliticum, vt ostendit series eorum, qui in decem tribubus regnantes non recesserunt à peccatis Ieroboam. De quo inter alia in tertio Re- 3. Reg. 14.
gnorum libro legitur. *Quia non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, sed operatus es male, super omnes qui fuerunt ante te, & fecisti tibi deos alienos, & conflatiles, me autem proiecisti post tergum tuum, idcircò ecce ego inducam mala super domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clausum, & nouißimum in Israel, & mundabo reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet fimus vsque ad purum. Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli, quia Dominus locutus est. Et euellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen, quia fecerunt sibi lucos, vt irritarent Dominum. Et tradet Dominus Deus Israel, propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Israel.*

Eccle. 49. Similia leguntur de multis regibus Iuda. Dicit enim Sapiens, *Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam, omnes Reges peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem Altißimi Reges Iuda, & contempserunt*

sunt timorem Dei. Dederũt enim regnum suum alijs, & gloriam suam alienigenæ genti.

Nolo autem Lectorem sequentium temporum exemplis, ab Arianis incipiendo onerare, cum hodie satis multa nobis tristia exempla edant hæreticorum factiones, qui cùm perpetuò clament se liberam religionem habere velle, nihil minus quàm vnicæ ac veræ religionis libertatem permittunt. Quare nuper pulchrè eos vnus è nostris, paucis carminibus depinxit, dum ait, *Iac. Latomus.*

Libera relligio, seu voce licentia dici
Dignior, vt primùm protulit orbe caput,
Pax abijt, probitasq́, simul, pietasqúe, fidesqúe,
Quicquid & in prisco semper honore fuit.
Ipsa quidem vultu primum blanditur amico,
Inspicias propius, sæua tyrannis inest.
Si quis erit nostræ qui nolit credere voci,
Et quem non satis hoc tempora lapsa docent,
Obseruet clades quas Belgica terra recenter
Pertulit, & fluctus Gallia clara tuos.
Protinus inueniet, meritò cur dicere poßit
Libertas procul hinc insidiosa fuge.

Et alius in prolixiore elegia: *Guilbel. Estius.*

Libera relligio, quam fas, pietasq́, pudorqúe,
Defugit, & sancta pax, comitata fide,
Cui comes impietas, scelerumq́ tot agmina circũ,
Et dominam vocitant, & statuere ducem,
Principe qua, bona cuncta grauem traxere ruinã,
In quorum pestes tot subiere locum,

Cùm neque relligio, neque libera, iure vocetur,
Discite quàm falso nomen vtrumque gerat.

Certè cùm summum, & primum, Reipublicæ bonum', sit sana & vera relligio: falsa verò quæcunque religio, qua Diuina Maiestas læditur, omnium bonorum ruinam, omniumque malorum colluuiem, & ipsius regni euersionē adducat: quis non intelligat ab omni Rege, qui & se, & sua sceptra, Deo subiecit, primo adlaborandum esse, vt honorem Dei, ne ei infidelis sit, tueatur'?]

Dan. 2. Nunc enim impletum est quod prædixit Daniel, *In diebus regnorum istorum suscitabit Deus regnum, quod consumet omnia regna hæc.* Consumet nō euertēdo, sed per religionem, fidem, & obedientiam, sibi subijciendo. Ideoque Christiani Principes, & Magistratus, non tantùm soliciti sunt, vt tranquillam vitam agamus, hoc est, vt pacem temporalem habeamus, quod, Augustino teste, ad terrenam pertinet ciuitatem, quæ Babylonia dicitur: sed vt tranquillam vitam agamus in omni castitate & pietate. In Psal. 136.

Isa. 49. & 60. Sciunt Reges illud Isaiæ, *Et erunt Reges nutritij tui.* Et iterum, *Reges eorum ministrabunt tibi. Gens enim, & regnum, quod non seruierit tibi peribit.* Vnde vnus ex eorum numero scripsit. *Nos omni prouidentia curam Ecclesiarum gerimus, per quas & imperium nostrum sustineri, & publicas res per clemētiam Dei, ac gratiam muniri credimus.* Iustinian' Nouellan. 42.

Leo epist. 73. Et Leo Pontifex ad Leonem Augustum, *Debes incunctanter aduertere regiam potestatem tibi non*

solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium, esse collatam. Ideoque orthodoxi Principes nihil vsque adeò oderunt, & à suis regnis ac prouincijs exulare volunt, quàm pestilentissimum hæreseos venenum.

Quando cum hæreticis liceat fœdus aliquod, aut pactum inire.

Caput XXIII.

HIc videor mihi audire quosdam, qui dicant ex hoc meo consilio, atque iudicio, nullam vnquam pacem, aut concordiæ ratione, iniri posse, cum ijs qui religionis caussa contra suos Reges, & Magistratus, arma in manibus habent, quantumcunque illi preualeant, & maiora indies incrementa accipiāt. Rem claram esse, cùm iam iam doctum sit, cum hæreticis nec fœdera, nec amicitias, ineundas esse: & liberam religionem à nullo Principe admittendam esse.

Hæc quidem verissima sunt, sed vt regulæ generales, quæ aliquando nonnullam exceptionem patiuntur, accipienda.

Quamuis enim libera religio non sit ab vllo Principe admittenda, cogitur tamen aliquando catholicus Princeps, & Magistratus, in quibusdam locis, quæ hæretici violenta manu retinent, non quidem omnibus, sed vnius tantùm, aut alterius generis, sectarijs libertatem, sub

certis

certis conditionibus concedere: aut potius nõ tam eis dare quod non habent, quàm tolerare in eis quod iam eo nolente occuparunt, ne si minus malum tolerare nolit, maiora in Republica sua perpeti cogatur.

Sed in his rebus maxima opus est prudentia, eo quod res longè omnium grauissima & periculosissima tractetur. Cum enim primo loco præ omnibus alijs, ab omnibus, & singulis Christianis, religio sit cõseruanda: & sæcularis principatus, atque potestas, nullum fœdus inire, aut saluum conductum dare possit, in præiudicium Ecclesiæ, aut Ecclesiasticæ potestatis: facile hîc, aut per ignauiam & tepiditatem, aut per timorem, vbi non foret timor, aut per imperitiam, & imprudentiam, quædam tractarentur, quæ postmodum nullius roboris esse iudicarentur.

Itaque nihil tutius est, quàm si furore hæreticorum Respublica aliqua cogatur ad aliquas iniquas & bonis hominibus præduras conditiones, vt omnia antequam fœdus perficiatur, diligentissimè & prudentissimè sint examinata & discussa. Atque in re tam ardua, ad securè conquiescẽdum etiam Apostolicæ sedis interueniat auctoritas.

Quàm periculosum sit quodcunque cum hæreticis fœdus.
Caput XXIIII.

QVam autem sit periculis plenum quodcunque cum hæreticis initur fœdus, ex descri-

deſcriptione,moribus,& ingenio,eorum cognoſci poteſt.

Hęreſis,omnis erroris,& omnium vitiorum ianua eſt,& mater.Hinc iuxta Gregorij magni expoſitionem catholici de hæreticorum vexationibus conqueruntur, apud Iob, *Quaſi rupto muro,& aperta ianua, irruerunt ſuper me.* Et de hæreſi Hieronymus exponit verba Salomonis, *Mulier ſtulta, & clamoſa, plenaqúe illecebris, & nihil omnino ſciens.* Vndè merito Felix, Pontifex & martyr, ad Paternum epiſcopum ſcripſit: *Hæreſis eſt nimis impia, & Euangelicæ veritatis inimica: quæ non portionem aliquam lædere, ſed ipſa Chriſtianæ religionis conatur fundamēta conuellere: Quoſcunque enim ad ſe rapit, non ſolùm in hoc vitium, ſed in multa alia vitia ruere facit: & ipſo ſuadente antiquo hoſte non ſolùm perſecutores Eccleſiæ, ſed etiam ſacerdotum eius, ſunt.* (*Iob 30.* · *Prou. 9.* · *Felix 1. epiſtola 1.*)

Hoc eſt quod in Apoſtolicis literis clarius legitur. *In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus nō obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinētes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, & voluptatū magis amatores quàm Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Sed quis eſſet ſcribendi finis, ſi ex ſacris literis & Eccleſiaſticis hiſtorijs, imo ex ſolis hæreticorum noſtri temporis moribus, deſcribendum eſſet, quanta ſit Reipublicæ peſtis quod hæretici, qui multum ad impietatem (*2. Tim. 3.* · *2. Tim. 2.*)

tatem proficiunt, & quorum ſermo vt cancer ſerpit, impunè intra regni viſcera tolerentur, & foueãtur? Annon ex hoc intelligimus quàm parum ſperandum ſit eos benè, & pacificè fœdus ſeruaturos, quod ſint proditores, criminatores, ſine pace, ſine fœdere: & qui omni arreptitio impietatis ſpiritu agitentur?

Hæreticos homines mendaciter nobis obijcere quod doceamus eis fidem ſeruandam non eſſe.

Caput XXV.

HI verò qui ſine pace & ſine fœdere ſunt, audent de ſua fidelitate, homines apertè perfidiſſimi, gloriari, & omnem perfidiæ inuidiam in nos retorquere. Non tantùm in priuatos Doctores. Sed in Vniuerſitates, in Cõcilia œcumenica, in ipſam Romanam Eccleſiam. Ab his enim omnibus proficiſci dicunt illud dogma, hæreticis fidem ſeruandam non eſſe. Sic illi ex ſuo prauo ingenio de alijs iudicant. Qui mendaces ſunt, omnes mendaces eſſe arbitrantur. Homines lubrici, & incontinentes, neminem arbitrantur continenter viuere. Similiter iſti qui in pace & fide viuere neſciũt, ex ſuo ingenio omnes alios de perfidia ſuſpectos habent. Et quia magno odio, multaque impietate, Eccleſiam Dei oppugnant, ideò malitiosè mentiri non erubeſcunt, noſtram doctrinam eſſe, hæreticis nullam fidem ſeruandam eſſe.

Ex sacris literis docetur hæreticis & profanis hominibus fidem seruandam esse.

Caput XXVI.

QVòd quàm falsum sit, breuiter ex sacris literis explicabo. Primi hac in parte leguntur peccasse filij Iacob. Cùm enim Sichem, filius Hemor, Dinam, sororem eorum, vi stuprasset, sæuiētes ob stuprum, in dolo fœdus inierunt. *In hoc valebimus*, inquiunt, *fœderari, si volueritis esse similes nostri, & circuncidatur in vobis omnis masculini sexus, tunc dabimus & accipiemus mutuo filias vestras, ac nostras: & habitabimus vobiscum, erimusque vnus populus.* Assensique sunt omnes circuncisis cunctis maribus. Et ecce die tertio, quādo grauissimus vulnerum dolor est, arreptis duo filij Iacob, Simeon & Leui, fratres Dinæ gladijs, ingressi sunt vrbem confidenter, interfectisque omnibus masculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem, sororem suam. Quibus egressis irruerunt super occisos, cæteri filij Iacob, & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri, cuncta vastantes, paruulos quoque eorum, & vxores, ducentes captiuos. Quibus perpetratis audacter Iacob dixit ad Simeon & Leui, *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis, habitatoribus terræ huius*, Moriturus verò, & filijs suis benedicturus, propheticè exclamauit:

Gen. 34.

Gen. 49.

Simeon

Simeon & Leui, fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.

Sed ad alia sacræ Scripturæ loca transeamus, in quibus non minus relucet Dei ira, vindicantis violationem fœderis, quòd cùm profanis

2. Par.26. & infidelibus est contractum. Sedechias rex, cũ ex Hierusalem à Nabuchodonozor in Babylonem abductus, contra fœdus cum eo initum, ad regem Aegypti trãsfugisset, à Domino Deo

Ezec.17. audiuit, *Nunquid prosperabitur, vel consequetur salutem, qui fecit hæc? & qui dissoluit pactum, nunquid effugiet? Viuo ego dicit Dominus, quoniam iuramentum quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est, ponam in caput eius. Et expandam super eum rete meum: & comprehendetur in sagena mea, & adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum ibi in præuaricatione, quia despexit me. Et omnes profugi eius, cum vniuerso agmine suo, gladio cadent: residui autem in omnem ventum dispergentur.*

4. Reg.3. Liceat hîc etiam recensere, quod Deus ob præuaricatum à Mesa rege Moab fœdus, quod cum rege Israel habebat, tradiderit eum in manus trium regum, & cum eo ciuitates Moabitarum, omnemque agrum optimum. Et quæ fuit illa præuaricatio? Regi Achab soluebat rex Mesa centum millia agnorum, & centum millia

lia arietum cũ velleribus suis. Mortuo Achab, successit Ioram, cui soluere ea noluit. Is autem Ioram, etsi non esset tam impius, quàm pater suus Achab, non recessit tamen à peccatis Ieroboam. qui peccare fecit Israel. Si autem Dominus Deus sic puniuit in homine infideli, illius fœderis, quod cum impio rege Israel pactus erat violationem, an non putamus in ijs qui eum colunt non minus ei displicere, eiuscemodi fœderis & iuramenti violationem? Id aliundè elucescet.

Memorabile est enim fœdus cum Gabaonitis initum. Illi mentiti erant se de longinquo venire, vt callidè pacem extorquerent. Qua ratione fecit Iosue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est, vt nõ occiderentur: Principes quoque multitudinis iurauerunt eis. Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, & intrauerunt in ciuitates eorum: neminem tamen percusserunt. Murmurauit itaque omne vulgus contra Principes. Qui responderunt eis: *Iurauimus eis in nomine Dei Israel, & ideo non possumus eos contingere, ne contra nos ira Dei concitetur, si peierauerimus.* Nouerant vtique sapientissimi Duces, quantum esset piaculum, datã hosti, etsi infideli, fidem infringere, & pacta violare. *Iosue 9.*

Vanum autem non fuisse eorum metum, docuit postmodum diuina in Saulem vindicta. De qua scriptum est in secundo Regum libro: *Facta est fames in diebus Dauid tribus annis iugiter & consuluit Dauid oraculum Domini. Dixitq; Do-* *2. Reg. 21.*

D minus,

minus, Propter Saul & domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas. Porrò Gabaonitæ non erant, subdit Scriptura, *de filijs Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum. Filij quippe Israel iurauerant eis.* An non ex his & huiuscemodi exemplis discimus quantú etiam hæreticis fides, si promittitur, seruanda sit, ne cum ijs qui absque fœdere sunt, damnemur?

In noui verò Testamenti libris scriptum est ab Apostolo, gentium doctore, *Homines per maiorem sui iurant: & omnis controuersia eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum.* Sed non video cuius cum hæreticis controuersię finis esse possit iuramentum, aut fides publica, si hæreticis fides seruanda non esset.

Hebr. 6.

Valeat igitur impia illa sententia: & vt veritas exigit, omne mendacium, omnemque perfidiam detestemur: nec attendamus cui, sed per quem, iurauerimus. Et hæc est Theologorum de fide hæreticis seruanda sententia, tanto certior, quanto veritati sacrarum literarum clarius innititur.

Quid Hermas Letmatius de fide hæretico seruanda, ex consideratione legum ciuilium scripserit.

Caput XXVII.

QVid verò Hermas Letmatius, Theologus Parisiensis, de proposita quæstione ex cõsideratione legum ciuiliũ scripserit, iam

importunè ex eius secundo de instauranda religione libro huc adscribam. *Sed frequẽs quæstio est*, ait, *an hæretico seruanda fides. Cuius explicatio ex illa quæstione pendet, Sitne hosti seruanda fides. Cùm autem hostem dico, publicum intelligo, quẽ perduellem vocant, hoc est, qui aduersus Rempublicam hostilem animum habet. Cui perduellionis crimini, cùm alij alias ob causas obnoxij reperiantur, huic tamen maximè obnoxius est hæreticus, quod religionem supremum Reipublicæ bonum (qua tota vitæ humanæ societas conseruatur) in dissidium vocet, hostilique animo concordiam religionis, omnium gaudiorum fontem, expugnet.* Cap. 14

Attamen cùm is nondum sit communibus commerciorum commoditatibus exutus, quas aut natura constituit, aut ius gentium adiecit, videtur non esse vetitum eorum, quæ ad naturæ aut gentium ius attinent, habere cum hæretico commercium, præsertim quod incolumi religione haberi possit: nihilque minus illi quàm religionis sodali fidem seruandam, præsertim quàm illi prius addixeras, quàm in hæresim incidisset: aut si in eam iam lapsus, nondum talis fuerat declaratus: ita tamen vt sit in re non vetita, hoc est, quam exclusa hæresi obligatus esses præstare. Et quod ad sacras leges attinet, haud dubium est ita planè rem habere.

Secus verò si placita consideremus legum ciuilium. Etenim si verum est vulgatum verbum, In turpi promisso rescindendam fidem: & alterum nihilominus celebratum, Turpis est omnis pars, quæ non congruit

suo toti: profectò quamquam ei qui tibi priuatim hostis sit certum est debere te seruare fidem, quæ nullam secum ferat turpitudinem, nullam tamen ei quem ciuilis societas (cuius tu pars es) perduellem declarauit, nec promittere debes, nec si promiseris, præstare opem aut vsum, quod publica illa promulgatione tibi atque adeò omnibus eiusdem societatis consortibus, iussus sit haberi publicus, hoc est, vniuersorum, & proinde singulorum hostis: ita videlicet traditus in manus omnium & singulorum, vt illum queat vnusquisque dare internecioni. Nec alia ratione tractandus, cuius hæresin, siue ob contagionis vehemens periculū, siue alia ex caussa, ciuilis etiam potestas instar perduellionis condemnauit.

Contra verò quamcunque fidem, cuiuis homini dederit ipsa publica vel potestas, vel authoritas, eandem debet illi ipsi, quantumuis etiam hæretico, aut perduelli, exactè non solùm ipsamet societas, sed & quæcunque eius pars seruare: si modò quod addixit, non sit de illo genere rerum, quas aut lex inspirata, aut naturalis, vetat præstare. Publica namque authoritas à nullius partis suæ, siue magnæ, siue paruæ, sed à Dei voluntate imperioquè dependet. Contra, ab istius imperio pendent omnium & singulorum, qui sub ea comprehenduntur, voluntates. Hæc de hæretico leges ciuiles statuunt. Hactenus Hermanus Letmatius, Goudanus, Decanus Ecclesiæ sanctæ Mariæ, oppidi Vltraiectensis. Ex cuius verbis animaduertere licet, Iurisconsultos, cum Theologis docere, fidem publicam, si promittitur, hæretico, seruandam esse. *Quo*

Quo sensu hæreticus sit perduellis.

Caput XXVIII.

QVia autem ex eo capite quod hæreticus sit hostis publicus, perduellionis crimini obnoxius, docet fidem priuatam ei seruandam non esse, nos eadem paulò clarius consideremus, & explicemus.

Perduellio crimē est læsæ maiestatis, aut Reipublicæ, *Nam pirata non est ex perduellium numero definitus*, ait Cicero, *sed cōmunis hostis omnium.* *De Officijs lib. 1.* Et definitio eius extat apud Iuriscōsultos, scribente Vlpiano, *Qui perduellionis reus est, hostili animo aduersus Rempublicam, vel Principem animatus est.* Eundem in modum Cicero. *Equidem animaduerto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is Hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant enim duodecim tabulæ. Quāquam id nomen durius iam effecit vetustas; à peregrino enim iam recessit, & propriè in eo qui arma contra ferret, remansit.* *Lib 1. Officiorum.*

Ex quibus verbis apparet hæreticum, quamdiu arma cōtra Rempublicam, aut Principem, nec gerit, nec ad gerendum commouet, non esse perduellem, aut publicum hostem. Ceterùm cùm ille religionem, supremū Reipublicæ bonum, (qua tota vitæ humanæ societas conseruatur) in dissidium vocet, hostiliq; animo con-

cordiam religionis,omnium gaudiorum fontem,nondum quidem armis, sed tamen hæresi, oppugnet,certum est eum plus quàm perduellem peccare. Perduellis enim lædit humanam maiestatem: hæreticus verò incidit in crimen læsæ diuinæ maiestatis.Perduellis contra Rempublicam aliquam arma fert, Hæreticus verò etsi non semper gladios aut fustes,semper tamẽ arma nequitiæ, multò nocentiora, fert contra totamRempublicam Christianam.Ideoque rei quidem veritate perduellis est,eo quod hostili animo oppugnet Ecclesiam : quia tamen id armis non facit,ideò, ex communi loquẽtium phrasi,non est perduellis. Cæterùm tam enorme est eius crimen, vt non solùm instar perduellionis,sed multò seueriùs puniri mereatur: quantò grauior est in re grauiori,& maiestatis, & totius Reipublicæ offensio.Superat enim horum impietas,etiam si ab armis abstineant,Turcarum impietatem. Nam hi obsequiũ & tributa exposcunt,neque semper ad suam sectam impellunt:illi verò animorum exitium quærunt, sicut Antonius Bonfinius libro XXXII.rerum Vngaricarum, eleganter disputat.

Quanquam etiam ex suo ingenio hæretici, dum exiguo sunt numero,maximè se simulare soleant esse pacificos,sed,quod etiam eis diuus Augustinus obijcit, mox vbi in iustũ aliquem numerum excreuerint,vt se posse aliquid imaginentur,seditiones & bella mouent.

Ideoque etsi in numero perduellium,qui arma cõtra Rempublicam sumũt,non sunt,quamdiu nullam ciuilem hostilitatem produnt, instar

ſtar paruorum luporum, qui mordere non poſſunt, quia dentes non habent: quia tamen actu grauius in Dei Eccleſiam peccant, quàm ſi ſepoſita hæreſi Rempublicā aliquam hoſtiliter inuaderent: & quia in animo gerunt & conceperunt plus quàm hoſtiliter Rempublicam Chriſti, vbi maiores vires acceperint, oppugnare & lacerare, ac annihilare, meritò a ciuili poteſtate inſtar perduellium, & multò acrius, damnari poſſunt. Sed lōgè alia eſt ratio, quo ad ciuilem obligationem, eorum qui inſtar perduellium damnati ſunt, & eorum qui non ſunt tales denunciati.

Quòd verò eum quem publica promulgatio publicum hoſtem denunciauit, vnuſquiſq; dare poſſit internecioni, hoc intelligendum eſt de vnoquoque, qui contra hoſtem ius belli habet, vt etiam pagani cognouerunt. Quod ex Ciceronis ſequentibus verbis cognoſcitur *Pompilius Imperator tenebat prouinciam: in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Cùm autem Pompilio videretur vnam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimiſit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet, Cato ad Pompilium ſcripſit, vt ſi eum pateretur in exercitu remanere, ſecundo eum obligaret militiæ Sacramento, quia priore amiſſo, iure cum hoſtibus pugnare non poterat. Adeò ſumma erat obſeruatio in bello mouendo. Marci quidem Catonis ſenis epiſtola eſt ad Marcum filium, in qua ſcripſit ſe audiiſſe, eum miſſum factum eſſe à Conſule, cùm in Macedonia Perſico bello miles eſſet. Monet igitur vt caueat ne prælium in-* Lib. 1. Officiorum.

eat. Negat enim ius esse, qui miles non sit, pugnare cum hoste. Sed quæ his de rebus fusius tractanda forent, ea potius alterius, quàm præsentis, sunt instituti.

An hæretico fides priuata sit seruanda.

Caput XXIX.

AD præsens institutum pertinet an hæretico, qui aut seipsum publicum hostem Reipublicæ declarauit, aut talis à Republica est declaratus, fides priuata sit seruanda. Et hic quidem quid Lermatius respondeat, ex superioribus notum est. Video etiam à Iurisconsultis quibusdam, communi sententia doceri fidem hæretico seruandam non esse à priuatis. Sed hoc dicunt ex eo capite quod velint hosti publico fidem à priuato datam seruãdam non esse. Verùm nos supra meminimus, id Didacum Couarruuiam, aliosque viros doctos restringere ad eam fidem, quæ in Reipublicæ damnum vergit. Neque ego de hæreticis plus ausim dicere: nisi vbi sacræ leges, aut Canonicæ, aut ciuiles, expresśè aliud exigunt, vt id nõ ex eo capite quod hosti publico priuata fides seruanda non sit, sed aliundè proueniat.

Supra, capite 7.

Deindè valdè confusè hæreticus hostis dicitur. Negari non potest, eũ qui se profitetur Romanæ Ecclesiæ desertorem, religionis, & vnitatis, ac Reipublicæ Christianæ, hostem esse, etsi ab armis & seditionibus abstineat: sed illam sententiam quod hosti fides à priuato data seruanda

uanda non ſit,quotquot defendunt,tantum de perduelli intelligunt,qui contra Rempublicam arma ſumit. Fieri autem poteſt vt priuatus homo reditum aliquem,cēſumúe annuum, debeat hæretico in alia patria habitanti:exempli gratia, Flander Germano, Franco, aut Anglo. An Flander,illi qui notoriè hæreticus eſt, quod ſuum eſt,negabit,cum neque ille, neque eius Reſpublica, aut Rex, vllam hoſtilitatem in Flandros exerceat? Si ex hoc capite neget, arguendus erit. Imo intra eandem Rempublicam,vbi corpusReipublicę tam eſt morbidum, vt Catholici cogantur in quibuſdam locis libertatem quibuſdam ſectarijs per publicum fœdus tolerare,(quod noſtro tempore in Alemannia & Francia accidit, & à Belgio noſtro clementiſſimusDeus,qui iam nos multis flagellis atterit,auertere dignetur) illicitum foret pacta & promiſſa cum eis priuatim inita, non ſeruare, quamdiu illi ſuæ Reipublicæ hoſtes nondum declarantur, quod fieri non poteſt, quamdiu in fœdere publico, quod cum eis, etſi ex neceſſitate,legitimè initum eſt,perſiſtunt.

Denique magiſtratus quidam & Principes, quibus prima eſſe deberet religionis cura, aliquando tam ſunt erga religionem tepidi, imo frigidi,vt vel quæſtus cauſſa, vel quia magis hominibus placere volunt quàm Deo,magnā admittāt in ſuis prouincijs libertatē & iniquitatē & impunitatē vitæ illis hominibus, qui à fidei ſinceritate deſecerunt, modò Rempublicā externam & temporalem non turbent, aut ſic viuere norint, vt eam turbare non putentur. Sa-

nè si quis tales in fide priuata falleret, ex eo capite quod eos hostes Reipublicæ pronunciare vellet, Deus bone quantos ille, sibi etiam in iudicijs & tribunalibus, aduersarios accerseret?

Non est autem mei propositi vt explicem omnia quæ hîc considerari & obseruari possunt. Sed satis sit insinuasse crudè eos loqui, qui dicunt communem esse Doctorum sententiam, fidem à priuato datam hæretico, quia hostis est, seruandam non esse. Particulatim enim omnes difficultates attendere & resoluere, non mihi videtur esse priuati Scriptoris, propter ingeniorum & opinionum varietatem: sed illud maiori cum authoritate, & fructu, à corona, vel collegio, seu synodali conuentu, doctorum virorum, exigendum esse. Hoc tantùm in genere addo, cum secundum omnia iura fides hosti seruanda sit, non esse secũdum aliam regulam. In malis promissis rescindendam fidem, nisi clara habeatur resolutio ex sacra Theologia, aut ex iure vel Pontificio, vel ciuili, malum esse quod promissum est. Non enim in huiuscemodi malis dijudicandis aliquid priuatis iudicijs & affectibus tribuendum est: sed ijs sepositis publico iudicio est acquiescendum.

Ambiguum sensum admittere quod dicitur, In turpi promisso rescindendam fidem.

Caput XXX.

QVòd verò Lermatius dicit verum esse vulgatum verbum, In turpi promisso rescindendam

dendam fidem: rectissimè & verissimè id dicit, eoque modo loquitur cum Cicerone Ambrosius, vterque in libris De officijs. Sed hæc intelligenda sunt de promissis, quæ in se inuolutam habent eam turpitudinem, quæ sit malitia, aut malum culpæ.

Alioqui sæpè sese generalius extendit turpitudinis vocabulum. Multa enim turpia esse dicimus, quæ mala non sint. Quis enim nescit turpe esse quod Magistratus, & Respublica, vel ipse Princeps, à rebellibus & hæreticis ad fœdus aliquod cogatur, quod tamen ex parte Catholici Principis & Magistratus malum nō sit? In eam tamen necessitatem potentissimos Imperatores, & Christianissimos Reges adactos esse scimus, vt coacti sint, Deo regna tam acerba plaga puniente, turpiter cum subditis sibi hæreticis, solemni fœdere pacisci, & ab eis iniquas accipere & tolerare conditiones.

A principibus initijs obstandum esse, ne tandem turpiter pacisci cogantur.

Caput XXXI.

ITaque Catholici Principes vt & suo honori, & suæ Reipublicæ vtilitati, tranquillitati, & saluti consulant, huic pestilentissimo malo in ipsis initijs occurrant. *Nolite putare,* ait Hieronymus, *paucorum hominum qui aliud docent insidias contemnendas. Scintilla res parua est, & pa-* *In 5. ad Galatas.*

DE FIDE HÆRETICIS SERVANDA, LIBER II.

Ioanni Huß datam esse fidem publicam.

Caput I.

IOANNES Hufs, quod Latinè anserem significare dicitur, ab obscuro inter Bohemos natali loco hoc cognomen adeptus, homo lingua diserta, acri & versipelli ingenio, cùm incidisset in Ioannis Vuiclephi librum, cui, per antiphrasin, aut per mendacium, titulus erat Alithia, quem nobilis quidā Bohemus adolescens, Oxoniæ in Anglia studiosus, indè secum attulerat, mox eum in popularem linguam transtulit, & inter suos tanta cum pernicie disseminauit, vt neque summi Pontificis auctoritate, neque Suinconis Archiepiscopi Pragensis instantissima cura, (qui tamen ducenta exemplaria, omnia ferè fibulis argenteis, & deauratis exornata, igne consumpsit.) semel conceptum, ex illis libris virus è cordibus hominum eradicari, aut extingui potuerit: quamquam nondum erat illis temporibus ars imprimendi libros vsitata.

Cùm autem his conatibus clarissima Pragensis Vniuersitas multum obsisteret, sępè ille mirum

rum in modum, odio, inuidia, regio mandato, multitudine armata, vexabat Teutones, qui soli ferè, quod paucissimi Bohemi literis operam dabant, scholam regebant. Itaque illi à Bohemis vexati, vno die vltra duo millia Pragam reliquerunt: nec multò post circiter tria millia secuti, apud Lipsicam, Misniæ ciuitatem, vniuersale studium erexerunt. Memorat Dubrauius episcopus, intra octo dies plusquam viginti quatuor millia scholasticorum Praga excessisse.

In Historia Bohemica.

Hæc est ruina floris & decoris Bohemici: fructus malæ arboris, siue doctrinæ Vuiclephicæ. Ex hac autem ruina Vniuersitatis, mox secuta est longè grauior Catholicæ religionis, & fidei ruina, per quam mala vniuersa in illud florentissimum regnum aceruatim irruerunt: hæreses, schismata, blasphemiæ, detractiones, disputationes ventosæ, temeraria iudicia, rixæ, seditiones, bella, direptiones, prædæ iniquæ, nefanda sacrilegia, immanissimæ strages.

Quibus malis cùm non occurreret Vvenceslaus Rex, homo ignauus & sordidus, ijsque ex caussis ab Imperio amotus, frater eius Sigismundus, Romanorum & Hungarorum Rex, atque ciuitatis Constantiensis dominus (vt ipse loquitur,) naturalis, cùm tanquam aduocatus & protector sanctæ Romanæ Ecclesiæ, interesset Concilio Constantiensi, quod propter controuersiam de tribus Pontificibus indictum erat, rogauit Patres, vt Bohemorum saluti consulerent, & paucos seductores, ac hæresiarchas, in tam celebri consessu, ad Ecclesiæ veritatem agnoscen-

In literis securitatis lib. 4. Cochlæi.

agnoſcendam inducerent. Miſit etiam nobiles Bohemos, conſiliarios ſuos, ad Ioannem Huſs, qui ei perſuaderent vt ſub fide publica, ad purgandam & ſuam, & regni totius, peſſimam de hæreſi famam, Conſtantiam veniret.

Munitus igitur præſidijs, & probationum inſtrumentis, lætus, cum ſplendore & pompa, cô profectus eſt, habens patentes Sigiſmundi literas, quæ publicæ fidei, quam ſaluum conductũ vocant, teſteserant. In quibus, à cunctis Sacri Imperij ſubditis petebatur, vt illum cum ſuis benignè ſuſciperent, quocunque diuerteret, ſiue per terram, ſiue per aquas: vt iter eius promouerent, & adiuuarent: vt nullum ab eo vectigal exigerent, ſed liberè pertranſire ſinerẽt, cum miniſtris, equis, oneribus, & omnibus impedimentis.

A Sigiſmundo, tempore Concilij, Conſtantiæ Ioannem Huß eſſe exuſtum.

Cap. II.

Cvm autem Cõſtantiam veniſſet, dati ſunt à Sacro Concilio Commiſſarij quatuor, in ſacra pagina magiſtri, qui cauſſam eius examinarent, & in illa vſq; ad definitiuam ſententiam incluſiuè procederent. Ibi autem in cœtu doctiſſimorum ex omni natione hominum, vidit longè aliam diſceptandi rationem, quàm Pragæ, in Eccleſia, dicta Bethlehem, coram laicis, nouarum rerum cupidis: aut in au- *Seß. 6.*

la, coram nobilibus, Ecclesiasticorum cēsuum auidis: aut in foro, coram plebe, minaci, & infesta clero. Vidit multos contra se paratos testari: facilè considerauit se Patribus de tot in Bohemia excitatis aduersus clerum, & omnem religionem, malis, satisfacere non posse, nisi per publicam reuocationem, & pœnitentiam. A qua cum alienissimus esset, de fuga circumspiciens, in curru sese abscōdit, atque ita eductus, pulchrè sibi videbatur euasisse. Sed ab insequētibus est interceptus, qui eum in palatium Ioannis XXIII. vinctum abduxerunt. Quo intellecto Rex Romanorum libenter eum propter saluum conductum liberasset, nisi, inquit Vlricus, à doctis viris accepisset responsum, nullo iure deberi saluum conductum hæretico in sua hæresi persistenti. Post octo verò dies ductus est ad monasterium Prædicatorum, vbi docti viri plerumque eum visitarunt, vt ab hæresi conuerteretur. Neque enim perfunctoriè à Patribus Concilij cum ipso actum est, sed omnem nauarunt operam, vt pœnitentem reducerent. Qua de caussa egerunt cum eo nō solùm Commissarij quatuor, sed etiam plerique Cardinales, & Episcopi. Atque post fugam suam reductus, adeò clementer est in carcere custoditus, vt in eo etiam libros sua manu scripserit.

Vlricus Reichental, apud Cochlæum lib. 2.

In Teutonica historia, de Cōcilio Constantiensi, apud Cochlæū lib. 2. quē Simlerus dicit esse Augustæ excusam.

Affirmat porrò Vlricus Reichental, ciuis Constantiensis, testis ocularis, Ioannem Huss, & Hieronymum Pragensem promisisse Doctoribus, qui eos in carcere visitabant, velle se & hæreses reuocare, & contrarium prædicare. Ob id pulsatas esse ter campanas in signum lætitiæ;

loco

loco cantici, Te Deum laudamus. Deinde, cum celebraretur sessio, conclusum fuisse, vt ambo retinerentur in Sueuia, nec vnquam reuerterentur in Bohemiam: sed vtrique honestè prouideretur in aliquo monasterio, vbi singulis daretur sumptus pro sex personis: ita tamen vt vterque in lingua Bohemica scriberet se errasse, & à recta fide declinasse. Illi verò, tum subdolum animum aperientes, dixerunt se scripturam in Bohemiam nolle mittere, ne è cœlo eos traherent, quos diuina sua doctrina Deo lucrati essent. Non multò autem post quatuor Episcopi, & nobiles aliquot Bohemi, Hussum incarceratum solicitarunt, vt errores abiuraret. Cum autem per ambages tergiuersaretur, indictus est iudicio dies, sextus videlicet mensis Iulij. Eductus ergo præscripto die ad plenam Concilij sessionem, in qua Rex ipse Romanorum, *Sess. 15.* & Principes atque Proceres eius, ei in insignijs regalibus seruientes, intererant, iterum monitus est vt articulos Vviclephi, sæpissimè damnatos, reuocaret, & abiuraret. Ipse verò, post excusatorias tergiuersationes, tandem respondit, se id non posse, renitente conscientia. Quo audito, vnus Episcoporum in pulpitum ascendēs, præclaro sermone ad Patres Concilij tractauit, Nihil esse in orbe terrarum pestilentius hæresi. Lectus est deinde processus aduersus Hussum, longa serie rebellionem, contumaciam, clauium contemptum, & in hæresi pertinaciam, complectens. Quo perlecto, pronunciata est definitiua sententia generalis Concilij, in *Sess. 15.* qua propter pertinaciam in hæresi, degrada-

tio eius sex Episcopis est commissa.

Deindè subiungitur hunc in modum. *Hæc sancta Synodus, Ioannem Huß, attento quod Ecclesia Dei non habeat vltra, quod agere valeat, iudicio sæculari relinquere, & ipsum curiæ sæculari relinquendum fore, decernit.* Ex qua appendice notum est, non satis circumspectè à quibusdam scribi, Ioannem Huss, ex sententia Constantiensis Synodi, crematum esse: cum id relictum sit iudicio sæculari.

Cochleus lib. ex Hußita. Peracta itaque degradatione, vt Cochlæus scribit, receptus est Sigismundi iussu à Ludouico Electore, Bauariæ Duce. Qui eum tradidit lictoribus, capite tonsum, & alto pileo papyraceo, in quo cacodæmones depicti erant, coronatum: cui inscriptum erat, *Hic est hæresiarcha.* Dum ergo duceretur ad locum pœnæ, in via libros suos comburi vidit. Cùm autem ad palum in medio rogi nondum incēsi, alligatus staret, adequitarunt Bauariæ Dux, & dominus de Pappenheim, admonentes eum, vt, errores reuocando, vitæ suæ parceret. Ille autem respondit, se nihil nisi veritatem Euangelij docuisse, pro qua mori vellet. Quo dicto exustus est, & cineres, cum titionibus, in Rhenum sunt proiecti.

Ioanni Huß saluum conductum non esse violatum.

Caput III.

HActenus fideli narratione ex Ioannis Cochlæi de Hussitis opere, & ex alijs authoribus,

ribus,quos clarissimus ille Theologus, de actis Ioannis Hufs citat,duo perstrinximus, ei videlicet à Sigismundo datum esse saluum conductum:& nihilominus ab eodem Principe, eodem die, quo authoritate Concilij Constantiensis degradatus,& brachio, seu iudicio, sæculari, traditus est,exustum esse. His concessis,vt sunt concedenda,fortassis triumphum canent filij quidam huius sæculi,veluti obtinentes Sigismundum,operâ Concilij Constantiensis, fidem publicam,quam ipse dederat,turpiter violasse. Sed si hi veritati, quam Deo donante explicabimus, refractis animis acquiescere nolent, non est quod miremur, cùm experiamur eos, Dei iudicio, ex antecedentium scelerum meritis, datos esse in reprobos sensus: oculos habere quibus non vident:aures,pruriētes quidem ad malum,sed clausás,vt audiant bonum, vt acquiescant veritati. Nos verò,qui per Christi gratiam docibiles Dei sumus, quid rei veritas habeat,attendamus.

A Concilio nullus,quod sciam, Ioanni Hussensi datus est saluus cōductus. Quē si dedisset, adiecisset clausulas in citatione Hieronymi Pragensis expressas, *Salua semper iustitia: quantū in nobis est: & inquantum fides exigit orthodoxa.* Sess. 6. Quomodo in Saxonia ex Carolina cōstitutione, vt Petrus Premus meminit, formula salui conductus consueta in caussis capitalibus habet, *Damus tibi fidem publicam, caussam dicendi in iudicio, contra vim, non tamen contra Iuris executionem.* Sicut etiam videre licet in iudicijs

In libro De securitatis promissionibus, & fide publica.

Obſer 82. in ſingularibus obſeruationibus iudicij Imper. Cameræ.

Spirenſibus. Scribit enim Mynſingerus, *Quando datur alicui ſecuritas, vel ſaluus conductus, tunc intelligitur ſolum de violentia, quæ de facto contra ius infertur. Et ideò meo tempore, ait, cuidam qui habebat ſaluum conductum, capto propter delictum, vel maleficium, & ſupplicanti in Camera pro mandato de relaxando, & citatione ad videndum, &c. petiti proceſſus à dominis Aſſeſſoribus ſunt denegati.*

A Sigiſmundo autem datus eſt ſaluus conductus conſueto ſtylo. Non adiecit dare ſe ei ſecuritatem ad redeundum, etiam ſi in hæreſi pertinax permaneret. Sed ſimplici, & conſueta formula dedit ſaluum conductum. Qualem verò? vt Conſtantiam proficiſceretur ad purgandam, & ſuam, & totius regni, de hæreſi infamiam. His enim verbis vtitur vnus ex eius factionis diſcipulis, prout Teutonicè liber eius editus eſt à Ioanne Agricola Iſlebienſi, Martini Lutheri ſectatore.

Additur ibidem, vel ab Huſſita, vel ab Agricola, Sigiſmundum dediſſe ſaluum cõductum ad ſecurè eundum, & redeundum. Quod Cochlæus reperiri negat, in formula conductus, qui in eo libello mox ſubiungitur. Cæterùm hoc etſi expreſſum non ſit, ex iuris tamen diſpoſitione conſequitur. Quid enim haberet, ſi ſecuritas ad veniendum, non autem ad redeundum daretur? Etſi igitur id non exprimatur, conſequitur tamen inquantum iuris diſpoſitio admittit. Datus erat ei ſaluus conductus ad purgandam cauſſam, ſuam & ſuorum. Id ſi feciſſet, ad redeundũ ſecuritas ſeruanda fuiſſet.

Sed

Sed dices, incredibile est sub tali saluo conductu Ioannem Hussensem voluisse Constantiam ire. Cùm enim doctrina Vviclephi sæpè damnata esset, & per mille ac mille testes probari poterat, ipsum multo tempore per Bohemiam doctrinam eius prædicasse, notior fuit caussa, quàm quæ expurgari possit. Dare igitur fidem publicam, tantùm ad purgandam eam caussam, in qua manifestissimè reus erat, quid hoc ferè aliud erat, quam quasi nullam fidem dare, sed ad certissimam necem eum euocare? Respondeo: qualis fuerat ei datus conductus, iam dictum est ex ipsius sectatore, apud quem etiam formula extare dicitur à Sigismundo transmissa. Non igitur disputemus, quid sit credibile, quid incredibile, quãdo & partibus aduersis constet aliam securitatem ei promissam non esse.

An igitur Huss securitatem, sibi in scripto promissam, non intellexit? Intellexit. Cur igitur tali saluo conductu contentus fuit? Dicam. Erat de numero reproborum circa fidem, quos Apostolus Paulus describit superbos, tumidos, cæcos. Præsumebat, sicut totam Bohemiã corruperat, sic ingenio, eruditione, eloquentia, se Concilium Constantiense in suas partes pertracturum. Quo pertinet publica intimatio Pragę ad omnes Ecclesias, & monasteria adfixa, quæ in historia ab Hussita scripta, quam Agricola Lutheranus edidit, talis legitur. *Magister Ioannes Huß, sacræ Theologiæ Baccalaureus, vult cõparere coram Reuerendißimo Patre ac Domino, Domino Conrado, Archiepiscopo Pragensi, sedis Romanæ Le-* 2. *Tim.* 3.

næ Legato, in futura congregatione omnium Prælatorum, ac totius cleri regni Bohemiæ: ibique paratus erit omni poscenti responsum, & rationem reddere, de sua fide, & spe, quæ in ipso est. Vult item videre, & audire, omnes, & singulos, quicunque voluerint ipsi vllum pertinacem errorem, aut hæresin, imputare, vt illi sese ibidem inscribant, iuxta tenorem diuinæ legis, & iuris, quæ vnumquemque ad pœnam talionis astringunt, qui eiusmodi errorem pertinacem, & hæresin, aduersus accusatũ docere non potest. Illud totũ vult coram supradicto Domino Archiepiscopo, & corã Prælatis, atq; etiam in futuro Cõcilio Constantiæ, iuxta institutionem sanctorum Patrum, & iuris Canonici, per innocentiam suam, in nomine Christi Iesu, demonstrare. Hanc intimationem per regnum Bohemiæ multo fastu publicauit, Latinè, Bohemicè, & Teutonicè. Nec multò dissimilem intimationem per Germaniam euulgauit, lingua Latina, & Germanica. Non igitur eum Constantiam impulit, tam saluus conductus, quam proprius animus, superbiæ & præsumptionis plenus.

Cùm autem eò venisset aberat Sigismundus, & mox à Concilio est arrestatus. Nõ enim ei illud vllum dederat saluum conductũ. Quem autem Rex dederat, iudicauit nullum præiudicium generare posse Ecclesiasticæ iurisdictioni contra hæreticum pertinacem. Id cùm satis intelligeret Ioannes Huss, nec tamen rationibus victus vinci vellet, per fugam sibi consuluit, sed ex ea, vt arresti violator, in carcerem est reductus.

Tum

Tum Rex libenter eum, propter saluum conductum à se datum, è captiuitate liberasset. Sed à doctis responsum accepit, nullo modo deberi saluum conductum hæretico pertinaci. Ex quo, agnoscens fidem à se datam, ex iuris dispositione, eò se non extendere, non solùm destitit, sed præterea, quia nullum hæreticum pertinacem contra Ecclesiam, manu tenere, sed potiùs, contra omnem hæresim, sua potestate Ecclesiæ Dei subseruire voluit, Ioannem Huss, degradatum ad se recepit: &, in pertinacia indurata tum, exussit. Qua in re pium Regem, non peccasse, nec fidem violasse, Patres Constantienses postmodum declarasse videntur, vbi asserunt saluum conductum Imperatoris, aut cuiuscunque sæculi Principis, nullum preiudicium, aut impedimentum, adferre posse fidei, aut Ecclesiasticæ iurisdictioni: Nam in fine, respiciendo ad præcedens Sigismundi factum, ex quo quæstio nata erat, concludunt, *Nec sic promittentem, cùm fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.* Seß. 19.

Ex Bohemorum sententia Ioanni Huß non esse fidem violatam.

Caput IIII.

Sed videamus quod de hac sententia fuerit Bohemorũ, qui læsi videri poterant, iudicium. In primis ipse Ioannes, cuius acta è diuersis descripta sunt, nusquam legitur de fide

publica sibi violata aduersus Pontificem, Concilium, aut Regem, expostulasse, sed postquam lata est in eius doctrinam damnationis sententia, ab ea, tanquam veritati contraria, appellauit, ad Christum summum iudicem: in qua appellatione multa iniuriosa, & falsa, posuit, in Sedis Apostolicæ, cēsurarum Ecclesiasticarum, & clauium, contemptum.

Nunc quod attinet ad Hieronymum Pragensem, eiusdem criminis, & non multò pòst, eiusdem pœnæ consortem, extat de morte ipsius epistola Poggij, qui illius mortis spectator fuit. In ea Hieronymus conqueritur Ioannem Huss virum bonum, iustum, & sanctum, ac morte illa indignum, fuisse. Non meminit fidem, aut sibi, aut Ioanni, violatam esse. Sed nec Poggius tale quid habet, qui tamen ex sua consuetudine in ea epistola, vt in alijs scriptis, libenter in cleri prauos mores inuehitur.

Verùm, pergamus. Basiliensis Synodus, quæ præcedenti sæculo anno trigesimo primo est inchoata, indicta fuit propter hæreticam hanc pestem, quæ auctoribus extinctis extingi non potuit. Illorum enim sequaces, reiecta Romanæ Ecclesiæ obedientia, conculcata parentum religione, Sacerdotibus Christi occisis, Ecclesijs dirutis, sine fide, sine bonis moribus, in latrocinijs, in adulterijs, in omni spurcitia viuentes, aduersus potentissimos Reges, innumerabiles populos, peritissimos Duces, instructissimos exercitus, inuicti persistebant. Cùm igitur bello non proficeretur, cogitatum fuit de Synodo Basileæ celebranda, & tam Sigismundus, ad coronam

sonam Imperij suscipiendam Romanum iter ingressus, quàm Basiliensis Synodus, Bohemis literas dederunt, vt Legatos mitterēt, qui cum Synodo de religione conuenirent, securitatem itineris, & dicendi quæ vellent, promittentes. Fuerunt tunc, vt Aeneas scribit, duæ inter Bohemos sententiæ, Orphani, & Thaboritæ, & plebes fermè omnes, eundum esse negabant, Ioannis & Hieronymi exemplum in medium adferentes, qui Constantiam ad Synodum, sub fide Sigismundi, profecti, publicè combusti fuissent. Non mirum est autem plebem, sine iudicio tumultuantem, ista clamasse. Exustis enim Constantiæ pertinacibus hæreticis, discipuli eorum, ne omninò vacui redirent, plena mendaciorum & calumniarum plaustra domum reuexerunt, inuidiosè conquerentes de violata salui conductus fide, de diuturnitate & duritia carceris, de crudelitate Patrum, de falsis & subornatis testibus, & de id genus alijs grauaminibus, quæ Patribus Concilij, & omni Clero, odium: magistris verò exustis, commiserationem, & laudem, apud suos parere poterant. Credidit hæc credula plebs, cui aures ad talia audienda pruriebant.

Cæterùm nobilitas, quæ rei historiam plenè cognouit, in deliberando præualuit, & Concilium prorsus petendum esse aiebat. Voluit tamen priùs Oratores Concilij, cum suis deputatis, Egram conuenire, vt de fide publica tractaretur. Non enim illis sufficiebat saluus conductus communis, qualis iam antea datus erat à Sigismundo Ioanni Huss, & à Concilio sacro-

ſancto Hieronymo de Praga, ſed volebant ſibi ſecuritatem ſufficientem, etiam cum derogatione iuris communis, promitti, & præſtari.

Quod quám promptè & ſincerè Synodus egerit, ex verbis Salui conductus agnoſci poteſt. Seß. 4. Omnibus, inquiunt, *eorum perſonis, infra tamen numerum ducentarum perſonarum, concedimus & damus, tenore præſentium, noſtrum pleniſsimum ac perfectum ſaluum conductum, veriſsimamque ſecuritatem. Ac in loco, vel locis, hoſpitiorum ſuorum diuina officia ſine impedimento noſtrorum peragere permittimus. Nihilominus in hoc eorum ſaluo conductu, omnes quaſcunque clauſulas includi ac contineri volumus, quæ pro plena & efficaci, & ſufficienti, ſecuritate, in eundo, ſtando, ac redeundo, neceſſariæ ſunt, & opportunæ. Inſuper promittentes ſine fraude, & quolibet dolo, quod nolumus, neque debemus, occultè vel manifeſtè, quacunque occaſione prætenſa, vti aliqua authoritate, vel potentia, iure, ſtatuto, vel priuilegio, legum vel canonum, & quorumcunque Conciliorum, ſpecialiter Conſtantienſis, & Senenſis, quacunque verborum forma expreſſa, in aliquod præiudicium ſaluo conductui, ſeu aſſecurationi, ac publicæ audientiæ, ipſis per nos conceſſæ, aut conceſſo.*

Hac pleniſſima ſecuritate data, legatio Bohemorum Baſileam miſſa eſt, cuius Principes fuerunt, Procopius Raſus, ductor exercitus Thaboritarum, multis victorijs, magniſque ſceleribus nobilitatus: Guilhelmus Coſtra, non tam equeſtri dignitate, quàm Eccleſiarum direptione, famoſus: Ioannes Rochezana, pſeudo Apoſto-

Apostolus Pragẽsium: Nicolaus Galecus, pseudoepiscopus Thaborensium: & Petrus Anglicus, patria profugus, ac solis elenchis in disputatione confidens.

Certè si aut Sigismundus semel violasset fidem publicam, aut ad eius violationem Concilium Constantiense eum instigasset, nũquam nobilitas Bohemiæ sub saluo conductu voluisset primarios ex suis Legatos mittere: neque missi abire voluissent. Quis enim, cum discrimine vitæ suæ, eum vellet accedere, ei credere, à quo aliâs fidem, eamq́ue publicam, violatam esse putaret? Qui enim semel fidem fregit, dignus est cui nunquam postmodum credatur.

An prudenter tempore Concilij igne in eum sit animaduersum.

Caput V.

NOn igitur disputemus, aut dubitemus, an Ioanni de Huss fides publica sit violata, cùm nec ipse, nec Bohemi, eius sequaces, qui ad Concilium Basiliense venerunt, id dicant.

Cæterùm si consideremus, quænam mala ex eius, & Hieronymi de Praga, nece, sint consecuta, fortassis erunt, qui iudicent, id quod iustissimè factum est, non prudenter factum esse. Scribit enim hunc in modum Sebastianus Munsterus, *Bohemi, vbi audiunt magistrorum suorum exitum, furere incipiunt, concurrunt, sæuiunt, & obuia sternunt* *Libro 3. Cosmographiæ.*

sternunt omnia, obsident ciuitates: monasteria, & omnia religionum loca à fundamentis euertunt, infesti ante omnia fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, quorum opera perijsse magistrum suum Constantiæ queruntur. Magnam Christiani sanguinis vim profuderunt, monachos interfecerunt, moniales stuprauerunt, & alia horrenda mala perpetrauerunt, nedũ in Bohemia, sed & extra. Hactenus Munsterus.

Præterea, hodie hæreticis frequentissimum in ore est, sese iustissimas habere diffidẽtiæ caussas, eò quòd in Concilio Constantiensi fides Ioanni Huss sit violata. Quod etsi falsum sit, illi tamen, aut ignorantes, aut malitiosè, aut vtroque vitio laborantes, id clamare non cessant, multisque persuadent. Quomodo multi, inter Romanos Pontifices clamitant, ex Platina, Ioannam mulierẽ resedisse, tametsi ex Onuphrio & aliundè, id plus quàm fabulosum esse, cognoscant. Sed satis illis est, quod apparenter sanctam Apostolicam Sedem macula quadam denigrent.

Onuphr. ad Platinam, Pontifice 106.

Quod autem attinet ad prudentiam, dixerint, prudentis esse procul videre quid ex facto sit consecuturum: &, si Patres illi prouidissent tanta mala subsecutura fuisse iustam in duos hæresiarchas animaduersionem, fortassis quin aliter negotium illud instituissent.

Acta hæc etiam esse à Concilio, vacante Romana Sede. Quæ autem à Concilio, sine capitis præsentia, aut auctoritate fiunt, ea, vt sanioribus Theologis notum est, deficiunt aliquando in auctoritate, robore, & Spiritus sancti directione,

ctione,§.Ego tamen contra tot Patres os meum aperire non ausim. Nam prudentes viri aliquando in suis prouidentijs falluntur, non ex defectu prudentiæ, sed ex defectu, quem parit communis miseria, propter quam non omnia quæ consequentur, videre possumus. Sanè cùm multi Principes Alemanniæ se Romanæ Ecclesiæ protectores esse declararent, cumque multa nobilitas Bohemiæ catholico spiritu contra Hussitas irasceretur, prҿter omnem fuit, & Patrum, & Principum exspectationē, tam crudelis Hussitarum insolentia.

Explicatur Concilij Constantiensis decretum de saluo conductu, qui hæreticis pertinacibus non patrocinatur.

Cap. VI.

EX ijs igitur quæ hactenus dicta sunt, vt prudentiæ quæstionē, de qua iam iam egimus, seponamus, summariè colligitur nec Sigismundum, nec Ecclesiam, siue Concilium, Ioanni Hufs fidem violasse, aut dolosè cum eo egisse. Quoniam istud cum Catholicis Bohemi testantur: Imo nec Hufs ea ex parte conqueritur, multaque alia in eius confirmationem sunt allata.

Lutherus, qui particularem articulum scripsit de Ioanne Hufs, à Leone decimo inter reliquos damnatum, laudat eum à sanctitate, & doctrina: fidei violationem non attingit.

Quidam

Quidam tamen eius sectarij eò in peius profecerunt, vt dicant non solùm fidem esse violatam, quam Sigismundus dederat, sed Constantienses quoque Patres decreuisse, in Sessione decimanona, hæreticis non esse seruandam fidem. Quod quàm sit falsum, consideremus.

Tomo 3. Concil.

Verba Concilij hæc sunt. *Præsens sancta Synodus ex quouis saluo conductu per Imperatorem, Reges, & alios sæculi Principes, hæreticis, vel de hæresi diffamatis, putantes eosdem sic à suis erroribus reuocare, quocunque vinculo se adstrinxerint, concesso, nullum fidei Catholicæ, vel iurisdictioni Ecclesiasticæ, præiudicium generari, vel impedimentum præstari posse, seu debere, declarat, quo minus dicto saluo conductu non obstante, liceat Iudici competenti, & Ecclesiastico, de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & aliàs contra eos debitè procedere, eosdemque punire, quantum iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter recusauerint, etiam si de saluo conductu confisi, ad locum venerint iudicij, aliàs non venturi: nec sic promittentem, cùm fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.* Hactenus Decretum Constantiensis Concilij.

In quo Decreto duo decidi animaduerto, vnum, quòd ciuilis potestas nullo modo possit potestatem Ecclesiasticam impedire à suo legitimo exercitio: ideoque si qui eorum saluum conductum extendere velint contra vim Ecclesiasticæ potestatis, Patres definiunt eum ex ea parte nullum esse, hoc est, non esse obligatorium, non magis quàm iuramentum, quo iura-

tur

tur in iniustam alterius necem, aut, vt mitius loquar, quo quiduis promittitur, quod in nostra potestate non est.

Alterum, quòd sæcularis Princeps sic promittens, cùm fecerit quod in ipso est, non maneat in aliquo obligatus. In quibus verbis expressè innuitur hæretico fidem esse seruádam, eo quòd sæcularis Princeps promittens, facere debeat quod in ipso est, hoc est, promissionem suam, quatenus in ipsius est potestate, implere. Hoc autem in eius est potestate, quòd absq; peccato implere potest.

Quare cùm sæcularis Princeps nullo modo possit per saluum suum cōductum potestatem Ecclesiasticam à sua legitima contra hæreticos functione impedire (hoc enim graue peccatū foret) non aliter saluus conductus, quem dat, intelligendus est, quàm quatenus eum, & suos subditos concernit. Nam si contingat in ciuilibus bellis viros Ecclesiasticos cōtra suum Principem exurgere, etsi postea ab eo veniam, quā pardonam vocant, consequantur: quia tamen sciunt ab eius potestate distinctam esse aliorū prælatorum Ecclesiasticam superioritatem, vt sibi per omnia cautum sit, etiam ab Apostolica sede reconciliationem humiliter flagitant. Res proindè satis clara est, eum qui reconciliatus est suo Regi, nondum reconciliatum esse suo superiori Ecclesiastico. Eundem in modum, qui saluum conductum à Rege habet, non eum habet à Iudice Ecclesiastico. Hic enim Iudex Regem suum in causa fidei & hæresis, superiorem non agnoscit, nec agnoscere potest.

Verùm

Verùm homines imprudentes aliquando in tali saluo conductu confisi, ad locum Ecclesiastici iudicij, aliâs non venturi, venerũt, vel malè saluum conductum sibi datum intelligentes, vel in potentia potiùs eius, qui eum dedit, quàm in publicæ fidei instrumento confidentes.

Igitur cùm in hoc decreto nulla sit mentio, nisi de fide data per sæcularem Principem in prꝗiudicium Ecclesiastici iudicis, à quouis animaduerti potest non bona fide ab aduersarijs nostris dici per hæc verba, decretum esse hæreticis saluum conductum non patrocinari.

Quo sensu verum sit hæreticis, suas hæreses pertinaciter defendentibus, saluum conductum non patrocinari.

Caput VII.

VNdè non satis oportuno loco, ad hoc decretum, in tertio Tomo Conciliorũ, annotatio legitur marginalis, nescio à quo apposita, *Hæreticis, suas hæreses pertinaciter defendentibus, saluum conductũ non patrocinari.* Hoc enim in Concilio Constantiensi nusquam legitur.

Etsi libenter admittam veram esse sententiam. Hæretico enim pertinaci data securitas nõ patrocinatur, ob iuris communis dispositionẽ. Quod non est peculiare huic peccato, sed alijs etiam

etiam minoribus peccatis commune. Quid enim si aliquis diffamatus de incendijs, aut latrocinijs, sub saluo conductu citetur, vt coram Camera Imperij, aut regni Parlamento, vt loquũtur, se sistat: ibidemque fateatur se multa incendia, aut latrocinia perpetrasse, nec deinceps velle abstinere: sed propter saluum cõductum datum liberè velle redire ad priorem locum: num talis dimittetur, an verò iuris interpretatione securitatem eò se nõ extendere dicetur? Non dubium est de posteriori parte, cùm eam dictamen naturæ & praxis iudiciorum, cuius antea meminimus, doceat. Quod igitur hæretico pertinaci, qui incendiarijs & latronibus, multò pestilentior est, Saluaguardia non prosit, non est ex nouo decreto Concilij Constantiensis. Nihil enim illud hac in parte innouauit. Sed est ex communi iuris dispositione, & ex ipsius naturę ductu. Eo enim ipso quo hæreticus pertinax est, significat se à latrocinio animarum, abstinere nolle, neque ab hæresis suæ propagatione, quæ veluti incendium, non vnũ locum, sed integras deuastat prouincias, cessare velle. Sed hæc filij huius sæculi non attendunt, apud quos latrones, & incendiarij, magni sunt peccatores: hæretici autem, parui. *Libro hoc, capite 3.*

Neque huiusmodi iuris interpretatio, & tacita quædam conditionum subintelligentia, locum tantùm habet in saluo conductu, sed etiam in multis alijs promissionibus, quæ rarò, aut nunquam, omnes contra sophisticas importunitates exprimuntur: ex communi autem iudicio subintelliguntur. Exempli gratia, spon-

ſalia ſunt futurarum nuptiarum mutua promiſſio. Docent tamen Scholaſtici Theologi, & iuris Pontificij interpretes, ex varijs conditionibus, etſi expreſſæ non ſint, diſſolui poſſe ſponſalia. Et in multis alijs promiſſionibus, quod eas non exequamur, facit vel ægritudo corporis, vel aliud, quod intercurrit impedimentum. Propter quod & Seneca dicit. *Tunc fidem fallam, tunc inconſtantiæ crimen audiam, ſi cùm omnia eadem ſunt, quæ erant promittente me, non præſtitero promiſſum.* Quis neſcit quando dicimus, Faciemus hoc, aut illud, ſemper ſubintelligi conditiones à Iacobo Apoſtolo expreſſas, *Si Deus voluerit, &, Si vixerimus?*

Libr. 4. de beneficijs, cap. vlt.

Iac. 4.

Sic etiam in iuramentis tacitæ quædam inſunt conditiones. Quò pertinet quod in titulo de iure iurando legitur. *Quemadmodum ſi vir mulieri iuraſſet, quando cõtraxit cum illa, quod eam ſemper pro legitima vxore teneret: pro fornicatione, quam mulier antea commiſiſſet, non poſſet eam dimittere: ſed pro fornicatione quam poſtea perpetraret, quoniam in eo talis erat ſubintelligenda conditio, ſi videlicet illa in legem coniugij non peccaret. Ita ſi quis iurauerit ſe ducturum aliquam in vxorem, non poteſt ei fornicationem opponere præcedentem, ſed ſubſequentem, vt illam non ducat in coniugem: quia in illo iuramento talis debet conditio ſubintelligi, ſi videlicet illa contra regulam deſponſationis non venerit.*

Lib. 2 Decretalium.

Per huiuſmodi tacitas conditiones excuſari, & benignè intelligi, poteſt Herodis tetrarchæ iuramentum, quando ille ſaltanti Herodiadi, cum

Sic S. Tho. 2.2. qu. 89.

cum iuramento promisit dare quicquid postu lasset ab eo, licet dimidium regni. Licitè enim dicere, iuramento interposito, potuit. *Quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei:* quomo do Assuerus Rex ad Esther dixit, *Etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis:* sed subintellectis debitis cōditionibus. Vnde si Herodias regni, seu potius tetrarchiæ, Herodis dimidium postulasset, respondere debuisset, Ego paratus sum tibi dimidiũ regni mei dare, quatenus in mea est potestate. Neque enim plus in meo iuramento includitur. Cæterùm quia regnum meum, aut regni portionem, nō possum dare cui volo, cùm ego illud non habeam, nisi vt vicarius, à superiori Romani Cæsaris potestate, si eius consensum, à quo collatio præcipuè dependet, obtinere possis, dabo quod promisi. Mar. 6. Esth. 5.

Quando verò illa caput Ioannis Baptistæ in disco sibi dari petijt, respondere debuisset, promissionem suam generalem ciuiliter intelligendam esse, de eo quod licitè, & cum honestate peti, ac dari potest, eo quod omne iuramentum iuris interpretatione ad licita tantùm, nō verò ad mala, sese extendat. Verùm ille impius Rex, à Christo vulpes dictus, contristatus, imò etiam lætus (paulo enim antè apud Matthęum legitur: *Et volens illum occidere, timuit populum*) fortassis etiam magis simulans tristitiã, quàm eam in corde habens, iussit, propter iusiurandum, & eos qui pariter recumbebant, dari saltanti meretriculæ, caput Ioannis Baptistæ, quo Luc. 13. Matt. 14.

maior non surrexit inter natos mulierum. *Infertur*, inquit Ambrosius, *disco Prophetæ caput: & hoc æstimatum est fidei esse, quod amentia fuit.*

Lib.3. Officiorum. cap.12.

Eundem in modum quando Conciliũ Constantiense Hieronymum de Praga citauit, adiecit, *recepturus & facturus in omnibus iustitiæ complementum: ad quod, à violentia, iustitia semper salua, omnem saluum conductum nostrum, quantum in nobis est, & fides exigit orthodoxa, præsentium tenore offerimus.* Sed hæ clausulæ pro maiori cautela ex superabundanti sunt adiectæ: cùm ex ipso communi iure ipsi saluo conductui tacitè inesse intelligantur.

Sess. 6.

Prudenter Tridẽtinos Patres saluum conductum dedisse Hæreticis, cum derogatione Decreti Constantiensis, seu iuris communis.

Caput VIII.

CAeterùm prudenter Patres, primùm Basilienses, deindè Tridentini, in saluis conductibus, quos ad nationes, in quibus publicè & impunè hęresis prædicabatur, miserũt, iuris communis dispositioni, pro illa vice, derogarunt. Sicut in alijs aliquando caussis iura & leges silent. Quando enim Canones militũ, mœnia pulsant, & Respublicas cõcutiunt, non conuenit Ecclesiasticos viros Canones suos de immunitate nimium vrgere. Et hæreseos malum aliquando sic præualet, vt oporteat rigo-

rem iustitiæ propter multitudinem conquiescere. Ita tempore istorum Conciliorum hæresis tantopere præualuerat apud quasdam nationes, vt Patres loco magni beneficij habuerint, si hæreticos tales ad se euocarent, etiam toleratis in vrbe Concilij prophanis, intra priuatos parietes, eorum ritibus, & dato saluo cōductu, contra commune ius, de redeundo, etiam si pertinaces persisterent.

Dederunt itaque sacrosancta Concilia, vt aduersarios suos in piæ matris sinum reducerent, & in humeris sublatos gregi Christi restituerent, fidem publicam, plenam amoris, & beneuolētiæ, & quæ nullis calumnijs patere posset. Qua obtenta Bohemi libenter Basileam venerunt: Posteriores tamen hæretici, tanta benignitate euocati, ad Tridentinam Synodum venire noluerunt, non ob fidei publicæ defectū. Data enim fides, ex voto, & sententia, Germanorum confecta est, vt ipsimet Germaniæ Principes responderunt, quando summus Pontifex hac de re ad eos Legatos misit, petēs vt ipsi suo arbitrio fidem publicam, qua vellent forma, cō ficerent: se illis libenter esse subscripturum. Cæterùm caussa non veniendi fuit scelerū magnitudo, vulnerata & meticulosa conscientia, quæ omnia etiam securissima reformidat: propositum in veteri errore pertinaciter permanere, nec sacri Concilij admonitionibus, nec Ecclesiæ doctrinis acquiescere velle. Sed non est mihi animus contra eos prolixè agere, contra quos Petrus Fontidonius, alijque nonnulli, eruditè disseruerunt.

Fontidonius pro Concilio Tridentino, contra Fabricium Montanū.

Caroli V. saluus conductus Luthero datus.

Cap. IX.

Cochleus anno 1521. in Actu Lutheri.

ILlud libenter subijcio, prudenter in saluo suo conductu dando egisse cum Luthero augustissimum Imperatorem Carolum quintum. Cùm enim in comitijs Vvormatiæ habitis, Principes, Electores Imperij, eum accersiri vellent, vt cõfiteretur quinam libri eius essent, qui suppostitij, consultatio, difficilisque disputatio, exacta est, qua cautione, quibusq; conditionibus, adducẽdus ille foret. Lutheri enim patronis solius Cęsaris fides publica, quantumuis sanctè iureiurando, literisque, & sigillo, firmata, non videbatur sufficere. Timebant enim ne eum in manus Romani Pontificis traderet: aut tanquam perfidum, & pertinacem hæreticum, cui fides publica non sit seruanda, vltimo supplicio puniret. Alijs videbatur res indigna, pro vnius monachi saluo conductu vltra Cæsaris fidem aliud desiderare. Permisit tamen Cæsar, vt pro saluo conductu nonnulli Principum suam quoque fidem interponerent: sed adiecit conditionem, vt Lutherus in itinere, neque concionaretur vsquam, nec scriberet, nec populos commoueret. Qua conditione fecialis Cæsareus Lutherum Vormatiam sub fide publica deduxit, atq; reduxit. Fuit aũt Vvormatiæ per dies decem, adhuc cucullatus, & rasus. Sed cũ clemẽtissimus Imperator aduerteret eũ magis ac magis pertinacem fieri, per Secretariũ suum dici

dici curauit, Quia tam multipliciter frustra à Cæsare, & Ordinibus Imperij cõmonefactus, ad cor & vnitatem redire noluit, reliquum esse, vt Cæsar, tanquam Aduocatus fidei Catholicæ, procedat. Esse igitur mandatum eius, vt intra viginti vnum dies hinc ad securitatem suã redeat, sub conductu publico, & libero ipsi seruando, neque vel prędicando, vel scribendo, in itinere populum commoueat. Lutherus autem has clausulas contempsit, publicè prædicans.

Et non solùm contempsit, sed cùm rediens Isennaci prædicasset, paululũ ab oppido egressus, occultissimo interceptus est cõsilio ab amicis, sub specie hostili, & mox longè, lateq;, sparsa est fama, Lutherum esse captum, fidem ei publicam violatam, & saluum conductum fractũ esse. Ita homines illi in mendacio spem ponebant: idq; tanto boatu iactabatur, vt etiã Principes cõtra Carolum mouerentur, donec figmẽtum esse nequitiæ omnib⁹ innotesceret. Et quidem si gloriosissimi nominis Imperator tale quid fecisset, nihil alienũ fecisset à Catholicæ fidei aduocato, vt se libenter nominauit, cùm tam manifestè Lutherus salui conductus conditiones præuaricaretur. Sed id aut opportunũ non fuit, aut prudentissimus Imperator iudicauit non expedire, ne saltem in hominum opinione conductus sui violator haberetur, & Principes Imperij contra se cõcitaret. Perdita enim semel in hominum existimatione fide, omnis authoritas est veluti labefactata.

DE FIDE HÆRETICIS SERVANDA, LIBER III.

In quo obiectiones dissoluuntur.

Respondetur ad obiectiones quæ sumuntur ex facto Concilij Constantiensis, contra Ioannem Huß & Hieronymum de Praga.

Caput I.



HACTENVS docuimus, hæreticis fidem, quando promittitur, seruandam esse: & in caussa Ioannis Huss nihil cõtra fidem publicam actum esse. Verùm quia aduersarij nostri iactant nos contrariũ docere, hæreticis videlicet, quia hæretici sunt, nihil eorum quæ promittuntur, seruandum esse: & quia addunt, id in Concilio Constantiensi declaratum esse: vt beneuolus Lector habeat quod eis clarè respondeat, non grauabor, quod pro eis adferri à me potest, adferre, & discutere, vt ex responsione ad obiecta clarior elucescat veritas. Quamquam enim nõ sit difficile ex præcedentibus ferè ad omnia,

quæ obijciuntur, respondere, id tamen non omnium est: & gratiora nonnullis esse solent, opposita iuxta se posita, vt veritas mágis elucescat. Igitur sit prima obiectio. Ex historijs clarum est Ioannem Huss & Hieronymum à Praga à Concilio Constantiensi habuisse saluum conductum: ergo perfidè sunt tempore, & loco, dicti Concilij exusti. Respondeo.

De Hieronymo à Praga clarum est, ex actis Concilij, eum saluum conductum à Concilio habuisse: sed nihil pudoris & verecundiæ habet, qui apud populum indoctum spargere audet, ipsum contra fidem publicam traditum esse à Patribus sæculari iudicio, cùm clarè expressum sit in formula citationis, *Recepturus & facturus in omnibus iustitiæ complementum: ad quod à violentia, iustitia semper salua, omnem saluum conductum nostrum, quantum in nobis est, & fides exigit orthodoxa, præsentium tenore offerimus.* In ea autem citatione narrat Conciliũ ex persona Hieronymi affixum fuisse scriptum ad portas Ecclesiæ Constantiensis, in quo afferebat se publicè responsurum suis obtrectatoribus, modò ad veniendum saluus & securus conductus præberetur: qua occasione ei Concilium in sua citatione saluum conductum dedit, quem diximus. *Seß. 6.*

In actis autem Concilij non legitur citatum esse à Concilio, Ioannem Huss, aut ab eo vllum saluum conductum Husso datum esse. De citatione tamen id scribit Albertus Crantius, in sua Vvandalia: sed vndè probare posset, igno- *Vuanda lia, lib. 10. cap. 23.*

ro. Multa enim talia aliquando obiter, & incidenter dicuntur, quæ repreſſius examinata aliter dicerentur.

Dicunt etiam nonnulli poſteriores ſcriptores Ioanni Huſſo datum eſſe ſaluum conductũ à Concilio: ſed obiter id dicunt potiùs præſuppонentes, quod eis probabile videtur, quàm eius rei ſcientiam habentes: ſicut Ioannes Cochlæus, rei veriſimilitudine perſuaſus, opinatur Ioannem Huſs talem à Concilio accepiſſe ſaluum conductum, qualem poſtea habuit Hieronymus Pragenſis.

Lib. 2.

Indubitatum quidem eſt ſecuritatem ei conceſſam eſſe à Sigiſmundo Imperatore, eandem autem à Concilio datam eſſe dicere non auſim. Sed aiunt ex hiſtoria id clarum eſſe. Ex qua hiſtoria? Nolo enim mihi obtrudi Ioannis Stũpfi Tigurini, Germanico ſermone deſcriptũ Vniuerſale concilinm Conſtantienſe, à Froſchouero anno 1541. typis publicatum. Cùm in illo opere, poſt annos centum, & multò plures, à morte Huſs, hiſtoria ei⁹ ſcribatur, ab homine Zuingliano, qui mala fide multa in odium Romani Pontificis, & Catholicæ Eccleſiæ adducit, vt ſectæ ſuæ cauſſam, inquit alicubi Cochlæus, iniquo fauore Lectori commendet.

In præfatione libri Ioannis de Przibram.

Eiuſdem farinæ, & malè fidei, eſt alia hiſtoria à Ioannis Huſſi innominato diſcipulo Latinè deſcripta, ſed à Ioanne Agricola Iſlebienſi, homine Luterano, in Teutonicum ſermonem tranſlata, aut potiùs, prout voluit, corrupta. Is enim, cùm Laicus fuerit, audet ſibi vſurpare officium ſacerdotale, & in præfatione gaudet ſe

nactum

nactum esse librum Latinè scriptum, quomodo probus Dei amicus Ioannes Huss, Constantiæ, propter Euangelij doctrinam, à synagoga Antichristi, combustus sit. Inscriptio libri, in eius translatione hæc est, *Historia & veracia acta, quomodo sanctum Euangelium, simul cum Ioanne Huß, in Concilio Constantiense per Papam, publicè damnatum sit, anno 1414.* Titulus verò hic mendacissimus est, eò quod acta multis mendacijs referta, vocet veracia, quod Euangelium damnatum esse dicat, cum Husso, per Papam, anno 1414. Ioãnes enim Huss anno demum sequenti, vacante sede, est à Concilio damnatus, & iudicio sæculari traditus, propter multos articulos Euangelicæ doctrinæ contrarios.

Sed fortassis Latinus codex bonæ fidei est, cùm auctor dicat se simplicissimè scribere historiam. Id ego non credo. Dicit auctor in Islebij translatione, se simplicissimè scribere historiam certaminis & mortis laudabilis magistri, Ioannis Huss, prædicatoris sancti Euangelij. Addit, se ea scribere, quæ ipsemet vidit, audiuit, & expertus sit, & (vt Ioannes Euangelista *Ioan. vlt.* locutus est,) scire verum esse testimonium suum. Verùm Cochlæus, contra has præsumptiones notat, eum multa tum scribere, tum reticere, in fauorem Huss, & in odium Concilij. Qualis perfidia hæreticis omnibus familiaris est: Neq; enim falsa doctrina aliter persuaderi potest, quam per veritatis suppressionem, & falsæ doctrinæ fucatam assertionem. Itaque si quis audeat iactare Hussitæ illius historiam Latinè

ſcriptam,ſinceram eſſe,proferat exemplar non vitiatū.Et num ille Huſſita Ioannis Huſſi hiſtoriā veraciter ſcripſerit,diſcutiemus. Alioquin cur nobis obtruditur,obſcurus libellus,Teutonicè à Lutherano mala fide editus, & corruptus?

Quanquam,vt ad rem propius veniamus, ex huius hiſtoria ſatis conſtet Ioannē Huſs à Concilio ſaluum conductum non habuiſſe. Refert enim ex ea Cochlæus, altero die poſt aduētum Huſs, duos nobiles Bohemos, Ioannem de Chlum,& Henricum Latzenbock,Ioāni XXIII. annunciaſſe Huſſi aduentum ſub ſaluo Regis Romanorum conductu: eosq́ue petiuiſſe, vt ipſe vellet eiuſmodi conductum ratum & inuiolatum habere. Quibus Papa reſpondit, ſe nequaquam impediturum, neque permiſſurum impediri, ſaluum conductum illum etiam ſi germanum ſibi fratrem interemiſſet. Quæ, vt demus ab Huſſita ſic ſcripta eſſe, noſtram ſententiam confirmant. Non enim legitur à Concilio petita eſſe confirmatio ſalui cōductus per Sigiſmundum dati. Sed tantùm legitur deſuper verbalis reſponſio dubij Pontificis,Ioannis XXIII.pro ſua perſona:qui paulò pòſt Conſtantiam reliquit, & Papatui, ad quem ius prætendebat,renunciauit. Concilium autem ipſum clarè declarauit,occaſione ſalui conductus,quē Sigiſmundus dederat, per Imperatoris, aut cuiuſcunq; Principis ſæcularis, ſaluum cōductū, nullum Catholicę fidei,vel Eccleſiaſticæ iuriſdictioni, præiudicium generari, vel impedimentum præſtari poſſe.

Lib.2.

Seſſ. 19.

Notat

Notat præterea Cochlæus in his Actis, ab Islebio editis, legi saluum conductum Sigismundi, sed inter multas Ioannis Hufs querelas nullam reperiri, vbi de violata sibi fide aduersus Papam, Concilium, aut Regem expostulet.

Est alia Vlrici Reichental ciuis Constantiensis, & testis ocularis, Teutonica de Concilio Constantiensi historia, Augustæ aliquando excusa. Ex qua Cochlæus refert Ioannem Hufs, cũ ex fuga reduceretur, noluisse vinciri, quod saluum conductum obtenderet: respondisse verò Latzenbock: ita decretum est, vt caussam tuam iustifices, ne sit hæretica: aut moriaris, ni reuoces. Deindè addit, ex fide eiusdẽ Vlrici, quod Rex Romanorum libenter eum propter saluũ conductum liberasset, nisi à doctis viris accepisset responsum, Nullo iure deberi saluũ conductum hæretico in sua hæresi pertinaci.

Denique extant Sigismundi literæ, post necem Ioãnis Hufs, scriptæ ad Barones Bohemiæ, in quibus scribit, *Nobis adhuc in partibus Rheni existentibus, Hufs peruenit ad Constantiam, & ibi fuit arrestatus. Verùm si prius ad nostrã Celsitudinem applicuisset, nobiscumque ad Constantiam processisset, fortasis negotia sua alium habuissent progressum. Et Deus nouit quòd tanto dolore fuimus attriti propter casum suum, quòd etiam verbis benè exprimi nõ potest. Sed etiam omnes Bohemi, qui tunc temporis nobis aderant, benè perpenderunt, quomodo nostram solicitudinem pro ipso interposuimus, quòd pluries furore permoti de Concilio exiuimus, imo verius de Constantia recessimus, quousque intimauerunt nobis, dicentes:* Lib. 4. Cochlæi.

centes: Si noluerimus admittere quod iustitia prosequatur in Concilio, quid tunc in hoc loco facere debeant? Sic cogitauimus, quod in hac parte iam nihil facere poteramus. Hæc sanè, & similia, satis significant talem saluum conductum qualem aduersarij nonnulli prætendunt, nunquam à Concilio Ioanni Husso datum esse. Valeant proindè illi, qui iactant, & probare non possunt, ex historijs clarum esse à Concilio Constantiensi Ioanni Husso datum esse saluum cōductum, cùm etiam ex aduersarijs multi id verum non esse animaduerterint.

Soluitur obiectio desumpta contra Concilium ex saluo conductu Sigismundi.

Cap. II.

Vuitteber. ga, 1572. in 8. INter eos est Caspar Peucerus, qui in libro quinto Chronici Carionis, quod auxit, scribit hunc in modum. *Condemnauit ad rogum Synodus duos martyres Bohemos, viros sanctimonia vitæ, & doctrina Christianæ fidei analoga, antecellentes, violata fide publica, qua ab Imperatore præmuniti accesserut.* Hæc Peucerus, nulla addita probatione.

Respondebo autem, sepositis prioribus calumnijs, ad ea quæ dicit de fide publica violata, qua ab Imperatore præmuniti accesserunt. De saluo conductu, quem Imperator Hieronymo dedisset, nihil scio. Concilium, cùm intellexisset,

lexiſſet, per ſchedam eius nomine ad Eccleſiæ valuas affixam, eum paratum eſſe ſeſe expurgare, dummodo ad veniendum ſaluus & ſecurus conductus præberetur, mox ſub ſuo ſaluo conductu eum citauit. Citatus itaque, intra paucos dies ſub fide Concilij comparuit: ſed non potuit ſeſe expurgare. Itaque de hæreſi accuſatus, & conuictus, cùm haberet quidem ſaluum conductum contra violentiam, ſed non contra iuſtitiam, per Concilium eſt incarceratus. Verùm Petrus Cardinalis Cameracenſis, & alij per Cõcilium deputati, eum ita in fide inſtruxerunt, vt poſtea omnem hæreſin reuocarit, & abiurarit, prout in abiurationis eius ſchedula, in Seſſione x i x. videre licet. Cùm verò ob hanc reuocationem, & abiurationem, peſſimè audiret ab Huſſitis, maximè verò à nobilib⁹ Bohemiæ, & Morauiæ, mente confuſus, fluctuare cœpit. Cumq; eſſet elati & acris animi, ſpiritu ferox, ſcientiæ & eloquentiæ dono ſuperbus, honoris & gloriæ auidus, inquietus & nouarum rerum cupidus: & animaduerteret ſibi poſt reuocationem nondum plenam à Catholicis fidem adhiberi, nactus effugiendi oportunitatem, peruênit vſque ad Bohemiæ & Germaniæ confinia. Retractus autem à Ioanne Duce Bauariæ, vt relapſus, carceri eſt mancipatus, & multis Patrum laboribus, vt iterum reuocationem faceret, induci non potuit. Itaque Concilium, in Seſſione x x I. eum, palmitem putridum, aridum, in vite non manentem, foras mittendum decreuit, ipſumque hæreticum, & in hæreſim relapſum, excommunicatum, anathematizatum, pronunciauit,

Seſſ. 6.

Cochlæus libro 3.

ciauit,& damnauit. Qua ſententia lecta, traditus eſt poteſtati ſæculari, & combuſtus.

Libro 2. Cochlæi. Agnoſcit etiam Vlricus Reichental, qui tum Conſtantiæ fuit, primæ eius incarcerationis aliam cauſſam. Scribit enim eum præ timore anxium fugiſſe. Cumque in ſylua Bohemica diuerſaretur, in vico apud Plebanum loci, qui in cœna, fortè fortuna, aliquot Sacerdotes inuitauerat, cœpiſſe ibi enarrare ſe Conſtantiæ fuiſſe, non in Cõcilio, ſed potius in Diaboli ſchola, & Sathanæ ſynagoga: ſe, & magiſtrum Ioannem Huſs, cum honore palmam obtinuiſſe, adeò vt eius rei teſtes apud ſe haberet literas ſeptuaginta ſigillis munitas. Retulerunt hæc Sacerdotes vici præfecto, qui rem omnem ea nocte diſſimulare iuſſit, & ſequenti die eum ſibi obuiam factum intercepit. Cumq; ille ſaluum conductum obtenderet, ait Præfectus, ſe, omnemque nobilitatem, fidelitatem iuraſſe ſacro Concilio. Quoniam verò in heſterna cœna grauiſſimè obtrectaſſet Concilio, neceſſarium eſſe vt ipſum Conſtantiam reducat. Reduxit igitur eum illuc: & abductus eſt in arcem, quæ Godlieben dicitur. Vbi à doctis quotidie viſitabatur. Ex his agnoſco Hieronymum habuiſſe ſaluum conductum à Synodo, non autem à Sigiſmundo, niſi eatenus quod omnis nobilitas Concilio fidelitatem iurauerat.

Quod autem ad Huſſum attinet, agnoſco illum ad Synodum veniſſe, præmunitum Sigiſmundi publica fide: ſed falſiſſimum eſt, Patres *Dialogo 6 cap. 31.* hanc fidem violaſſe. Quod pulchrè Alanus Copus, aut, ſi mauis, Nicolaus Harpsfeldus annotauit.

tauit. *Hic iam locus postulat*, ait, *vt tibi de Patribus Constantiensibus satisfaciam, quos in Hussum contra fidem publicam ei datam sauissimè criminaris. In quo te iuris, & rerum gestarum, ignorantia, lapsum esse perspicio: quamuis hîc praeceptores tui non tam inscienter, quàm dolosè, aut malitiosè, peccasse mihi videantur. Non dubito igitur, quintu, si ex aequitate, & recta cum ratione, rem, vt gesta est, expenderis, omni violatae fidei culpa Patres hosce vacare, mecum sis dicturus. Neque enim contra vllam à se fidem datam, vt Foxus calumniatur, venerunt. Imperator quidem, non Synodus, suam fidem interposuit. Atqui neque adhuc Euangelici probarunt, neque vnquam (ni fallor) probaturi sunt, oecumenicam Synodum ex huiusmodi Imperatoris fide vllo modo crimini obnoxiam esse: cùm, vt dici solet, nostrum, non alienum factum, praestare cogamur. Atque id iam miror istos haec tam odiosè exacerbare, de quibus ne ipsum quidem Hussum questum esse memini. Neque certè ille vllam iustam ea de re querelam instituere poterat. Trahunt enim huiusmodi diplomata, & commeatus, suas secū cohaerentes, & implicitas conditiones.*

Dissoluitur obiectio quae contra Sigismundum ex eius saluo conductu sumitur.

Caput III.

EX dictis Harpsfeldi verbis intelligitur nihil Concilium fecisse contra Sigismundi

fidem publicam. Sed cùm quis suum factũ præstare cogatur, videtur accusandus esse Sigismũdus Imperator, qui Ioannem Huss, & Hieronymum Pragensem, igni tradidit. Imò in eandem culpam incidere videtur Concilium, quod eos Sigismundo tradiderit, ea intentione, vt eos velut pertinaces hæresiarchas puniret.

Obiectionem capio. Sed ego in Actis Concilij lego tantùm Ioannem Huss traditum esse iudicio, siue curiæ sæculari, in sessione videlicet sexta, cui Sigismundum, cum suis Proceribus interfuisse, ex initio Sessionis est notorium.

De Hieronymo autem Pragensi habet Sessio x x i. traditum esse potestati sæculari, & combustum fuisse. Sigismundo verò aut hunc, aut illum, traditum esse, in Actis Concilij non legitur.

Nihilominùs libenter concedo eum à Concilio traditum esse Sigismundo, & Sigismundi mandato, qui Dominus erat naturalis Constantiensis oppidi, vlterius contra eum processum esse. Legitur enim apud Hussitam illum, quem Islebius edidit, mox lecta in Concilio contra Ioannem Huss sententia, Regem dixisse ad Ducem Bauariæ, Ludouicum Electorem, qui pomum aureum tenebat. Vade: recipe eum. Qui, recipiens eum, tradidit lictoribus, capite tonsum, & alto pileo papyraceo coronatum, cui inscriptum erat. *Hic est Hæresiarcha.* Dum verò ad locum pœnæ duceretur, queribundus protestabatur, se ad mortem duci, propter errores sibi falsò impositos à falsis testibus, qui sibi capitales fuerant inimici. Hæc ille scribit. Mirum

est

eſt autem, cùm Huſſus tam inuerecūdè mentiatur, quod non adiecerit violari ſibi fidem, & à Rege, & à Concilio. Quod noſtris ſectarijs in ore eſt.

Falſiſſimum tamen id eſſe facilè probatur. Non enim datus erat ei ſaluus conductus, niſi vt ſe expurgaret. Quò pertinet quod ad Bohemiæ nobiles Sigiſmundus ſcribit: *Et ſacrum Concilium in Conſtantia inchoatum fuit, & nos perſenſimus, quod Huſs ibi etiam vellet intereſſe. Fuimus plurimum gauiſi, & ſperabamus quod de omnibus his, in quibus incuſatus fuerat, ſe expurgare deberet, & quod propterea omnes ſcrupuli in Bohemia ceſſare debuiſſent.* Vt igitur ſeſe expurgaret, datus eſt à Rege ſaluus conductus: Hoc eſt, quod Huſſi diſcipulus ſcribit, Sigiſmundum miſiſſe è Lombardia nobiles quoſdam Bohemos, qui Ioanni Huſs perſuaderent, vt ſub publica fide Conſtantiam proficiſceretur, ad purgandam, & ſuam, & totius regni famam de hæreſi peſſimam. Facilis autem fuit Huſs, vt ſub tali ſaluo conductu compareret, quia Pragæ ad valuas Eccleſiarum & Monaſteriorum, imò vbiq; per regnum, in tribus linguis, Latina, Bohemica, & Germanica intimauerat, ſeſe paratum eſſe coram Clero Bohemiæ, atque etiam in futuro Concilio Conſtantiæ comparere, & rationem reddere omni poſcenti, de ſua fide, & ſpe, quæ in ipſo eſt, iuxta inſtitutionem ſanctorum Patrum, & iuris Canonici, per innocentiam ſuam. Eundem in modum Hieronymus Pragenſis per ſchedam affixam ad Eccleſiam ſancti Nicolai Conſtanti-

Libro 4. Cochlæi.

ensem intimauerat, se publicè respõsurum obijcientibus ei crimina erroris, & hæresis, dummodò ad veniendum saluus & securus conductus præberetur. Nihil proindè fecit Sigismundus contra suum saluum conductũ, quem Husso dederat, quia non dederat eum, nisi vt caussam suam purgaret.

Respondetur ad obiectionem, quæ sumitur ex literis Sigismundi, ad Bohemos scriptis.

Caput IIII.

Videtur tamen dictis contradici posse ex literis Sigismundi, quas ad nobiles Bohemiæ & Morauiæ scripsit. In quibus legitur: *Nobis adhuc in partibus Rheni existentibus, Hus peruēnit ad Constantiam, & ibi fuit arrestatus. Verùm si prius ad nostram Celsitudinem applicuisset, nobiscumqúe ad Constantiam processisset, fortassis negotia sua alium habuissent progressum.* Et Deus nouit *quod tanto dolore fuimus attriti propter casum suum, quod etiam verbo exprimi non potest. Sed etiam omnes Bohemi, qui tunc temporis nobis aderant, bene perpenderunt quomodo nostram solicitudinem pro isso interposuimus, quod pluries furore permoti de Concilio exiuimus: imò verius de Constantia recessimus quousque intimauerunt nobis, dicentes, si noluerimus admittere quod iustitia prosequatur in Concilio, quid tunc in hoc loco facere debeant. Sic cogitauimus quod in hac*

Libro 4. Cochlæi.

in hac parte iam nihil facere poteramus. Neque etiam licuit nobis vlterius pro hoc negotio loqui, quia ex inde Concilium totaliter fuisset dissolutum. Annon apparet ex hac relatione Sigismundum, violentia Concilij coactum, securitatem Ioanni Husso violasse? aut saltē violationē eius tolerasse? Non sanè. Nihil enim, aut à Concilio, aut à Sigismundo, contra fidem datam actum est Husso. Statim quidem arrestatus est, absente Sigismundo, à Concilio. Sed hoc ne præsens quidem Sigismundus impedire debuisset, cùm non esset vocatus nisi ad purgandam causam suam. Et generali Decreto nullus à Concilio abire poterat, nisi obtenta venia: quod quia non videbatur ad Hussum esse extendendum, speciale arrestum ei fuit, auctoritate Synodi, nunciatum, vt videlicet non abiret, nisi data venia. Quomodo etiam nostro tempore in Camera Spirensi arresto grauantur, qui in ea sub saluo conductu comparent.

Facilè autem credo, quod si primum applicuisset ad Sigismundum, negotia eius fortassis alium habuissent progressum.

Quod verò dicit, se pluries propter caussam Huss furore permotum de Concilio exiuisse, scribit hęc vtcunque fortiter Bohemis, qui per necem Huss ira commoti, fœdera, & ligas faciebant, vt eos minus sibi offensos haberet: & Principes aliquando furorem tantùm habent in labijs, vt non tam irati sint, quàm irati esse videri velint. Aliquando etiam ex præiudicijs & facilitate credendi, irascuntur. Quod facilè credo ex importuna solicitatione Bohemorum Sigis-

mundo accidisse, quando illi, fucatis mendacijs interpositis, clamabant contra honorem eius tractari à Concilio Ioannem Huss. Nam & hic, cùm ad mortem duceretur, ausus fuit conqueri, & protestari, se occidi propter errores sibi falsò impositos à falsis testibus, qui sibi capitales fuerint inimici: vt non putandum sit, minora mēdacia Regi Bohemos plausibiliter obtrusisse, vt ei persuaderent contra fidem ab eo datam, à Concilio malè Hussum tractari: suiq; officij esse, suū honorem, contra iniustam Hussi oppressionem, iuxta diploma datum, tueri. Hæc turbarunt optimum Regem, qui fidem suam Regiam immaculatam conseruare volebat: vt mirum non sit, eum non modo ira, sed etiam furore, commotum fuisse. Omnis enim Regum ira, furor est, dicente vno ex illorum numero,
Prou. 19. *Sicut fremitus leonis; ita & Regis ira.*

Cæterùm postquam sedatus Regis animus a sacro Concilio ad singula responsionem accepit, satisfactum est ei, & facilè intellexit nihil contra fidem datam, vel à Concilio, vel à sua Maiestate, peccatum esse. Imò intellexit, quamuis tantùm ad expurgandam caussam suam Ioannes de Huss saluum haberet conductum, velle tamen Patres propter honorem Regis, hoc est, quia id ille peteret, benè prædictum Hussum tractare, & in gratiam recipere, si resipiscere vellet. Noluit Rex prudens, re perspecta, Cōcilij actis contra niti, sed potius eius honorem, & auctoritatem, non minus quàm proprium tueri. Vt tum ex dictis literis, tum etiam aliundè cognosci potest.

Pulchrè

Pulchrè Cochlæus, ex fide Hussitæ illius, quē Isebiensis edidit. *Sæpe Rex ab ipso Ioanne Huß petyt, vt submitteret se Concilij iudicio, vt hæreses abiuraret, vt nolit pertinaciter sæpe damnatos asserere articulos. Atque etiam prædixit, ni desisteret ab ea pertinacia, fore vt Concilium suo in ipsum iure vsurū esset, iuxta censuram sacrorum Canonum. Quin imò in faciem ei dixit, se Concilio promisisse, si ipse pertinaciter articulos erroneos assereret, quod nullum hæreticum velit manu tenere: imò mallet per sese, & solus, pertinacem hæreticum comburere, quàm defendere. Ideò sæpè suásit ei, vt se omninò submitteret Cōcilio, in omnibus. Quod si faceret gratiam inuenturus esset apud patres ad honorem ipsius Regis, fratrisq́ue eius, & ipsius regni Bohemiæ. Si autem obstinatus permaneret, prædixit fore vt Concilium suo in eum iure sit vsurum.* Libro 2. Pag. 81.

Et rursus ex eiusdem Hussitæ fide, cùm Cardinalis Cameracensis vrgeret Hussum, vt errores suos abiuraret, ille verò diceret abiurare se non posse quod nunquam docuit: Rex ipse ait. *Audi Ioannes Huß. Cur non vis omnes erroneos articulos abiurare, quos aduersum te malè (vt tu dicis) testes deposuerunt? Ego tamen abiuro iam omnes tuos errores, quod nullum eorum tenere volo, non quod vllum eorum tenuerim prius. Respondit Huß: Clementissime Rex: hoc verbum abiurare non sonat ad hunc casum. Tum Rex, ecce duæ viæ propositæ sunt tibi: Vt abiures & reuoces errores condemnatos, subdasq́ue te gratiæ Concilij. Si autem eos defendere volueris,* Pag. 106.

Concilium & Doctores habent iura sua, quidnam tecum finaliter agere debeant. Et altero die. Quod heri dixi, iterum dico: non possum sæpe repetere, ætatem habes, si vis, percipe. Reuoces, & abiures omnes articulos damnatos, qui in tuis scripti sunt libris, & alios quos tenuisti, de quibus sufficienter cónuictus es testibus. Et ij sunt viri præstantes, ac docti. Si autem illos adhuc vis defendere, Concilium aduersus te procedet iuxta tenorem suorum Canonum.

Vlricus quoque Richental scribit Sigismundum ad diem octauum Iunij, anno 1415. in refectorio Minorum ad Patres Cōcilij inter alia dixisse: *Audistis Reuerendissimi Domini, multa ex Ioannis Huß libris excerpta, quæ & ipse confitetur & sufficienter testibus conuicta sunt. E quibus vel vnum satis foret ad condemnandum ipsum. Quapropter si noluerit eos errores reuocare & abiurare, poteritis decernere vt ipse comburatur, aut agere cum eo iuxta iura vestra, sicut scitis: Scire quoque debetis, etiam si multa vobis promiserit se reuocaturum esse, atque illi etiam si hic reuocauerit, credendum non esse. Ego quoque ei credere nollem.*

Soluitur obiectio desumpta ex significatione salui conductus.

Caput V.

Fortassis tamen quidam dicent sese intelligere non posse quod Conciliū & Sigismundus fidem publicam inuiolatam seruauerint Husso & Pragensi, dum salui conductus significatio

gnificatio attenditur. Qui enim ſaluum ſibi cō ductum donari poſtulat, is expetit ſecuritatem ſibi annui. Ergo apparet Concilium, quando Pragenſi, qui notoriè Vviclephi doctrinam per Bohemiam ſpargebat, dedit omnem ſaluū conductum, ſed tribus clauſulis limitatum, iuſtitia ſemper ſalua, quantum in nobis eſt, & fides exigit orthodoxa: potius non eū dediſſe, quàm dediſſe, eò quòd contradictio eſſe videatur in adiectis clauſulis. Petebat enim Hieronymus de Praga præberi ſibi ſaluum & ſecurum conductum veniendi Conſtantiam. Notorium erat Conſtantiæ & vbique, eum eſſe hæreſiarcham: multique parati erant vt contra eum teſtarentur. Igitur certus de morte euocabatur per ſaluum conductum, in quo ei nihil minus quàm ſaluus & ſecurus conductus dabatur. In eodem impietatis gurgite notoriè immerſus erat Ioannes Huſs. Ergo dici non poteſt in ſaluo conductu' Sigiſmundi eas conditiones implicitè contineri, quas Concilium in citatione Hieronymi de Praga expreſſit.

Sine dubio admitto ſaluum conductum ſignificare ſecuritatem. Imò Concilium Tridentinum ſaluum conductum, quem appellant, deſcribit publicam fidem, plenamq; ſecuritatem: & alibi, publicam fidem, & pleniſſimam, veriſſimamque ſecuritatem. Hoc eſt, quod Concilium Conſtantienſe dixit, omnem noſtrum ſaluum conductum. *Poſt Seſ. 13.* *Poſt Seſ. 14.*

Sed ordinarij & communis iuris eſt, niſi fiat cum expreſſa in particulari derogatione, vt nō intelligatur ſaluus conductus ſeſe extendere,

nisi ad purgationem causæ, vt excludatur omnis violentia, præter illam quæ post cognitionem causæ iure infertur. Quod hodie etiamnum locum habere in iudicijs Spirēsibus, à Ioachimo Mynsingero inter singulares iudicij obobseruationes est, vt antea diximus, annotatum. Notorium proindè est ex praxi Synodum Constantiensem plenissimam & proprij nominis securitatem dedisse. Neque eam coarctasse, & multò minus euertisse, per expressionē clausularum, quæ in omni saluo conductu ordinario iure pro expressis habentur.

Libro 2. cap. 3.

Obijcitur intentio petentium fidem publicam.

Cap. VI.

Sed vrgeri potest, sicut in iuramento, sic etiā in fide & securitate maximè attendendam esse intentionem eius qui petit: dicente Isidoro, *Quacunque arte verborum quisq; iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit.* Illorum autem intentio fuit, vt quamuis à Patribus Concilij Constantiensis haberentur hæretici, possent tamen sub fide publica inter eos securè esse, & loqui. Igitur Sigismundus Hussum, & Patres conscripti Pragensem, fefellerunt.

Lib. 2. de Summo bono, cap. 31.

Nequaquam fefellerunt: sed omnia sincerissimè egerunt. Isidorus tantùm loquitur contra eos qui ita dolosè & artificiosè verba sua componunt, vt longè aliud quam iurans intendat,

quam-

quamque verba exactè expensa significent, ab eo cui iuratur, concipi velint. Alioqui etiam ille, qui iuramentum petit, posset in dolo occultam habere intelligentiam, quàm iurans non assequatur. Hoc igitur significatur, vtrinq; sincerè agendum esse, fraude & dolo seclusis.

Concilium autem omnes clausulas tam clarè expressit, vt in doli suspicionem venire non possit. Quia autem Sigismūdus eas non expressit, videri posset decepisse Hussum, quantumuis ordinario iure in omni saluo conductu implicitè contineantur: nisi ex diplomate, & ex actis, quæ etiam aduersarij descripserunt, constaret Hussum tantum ad purgandam causam suam, fidem publicam, & petiuisse, & à Romanorum Rege obtinuisse.

Illos verò, Hussum & Pragensem dico, cum essent vulpeculæ, qui vineam Domini Sabaoth demoliri conarentur, non dubito in dolo petiuisse saluum conductum, quo se non sufficienter tutos esse sciebant. Non vt in eo confiderent, sed cùm à Concilio abesse nollent, vt saltem hac via, cùm aliter non possent, ad Patres intrarent. Cant. 2.

Homines enim superbia sua excœcati, qui totam ferè Bohemiam corruperant, persuadebant sibi se ingenio, eruditione, eloquentia, facilè Concilium Constantiense, aut saltem multos nobiles, multosq; Concilij Patres, in suam sententiam pertracturos, sic vt ab alijs nullam violentiam metuerent.

Obijcitur intentio Sigiſmundi dantis ſaluum conductum.

Caput VII.

QVòd ſi qui ex altera parte vrgere velint, Sigiſmundi Regis intentionem: eumque vt protectorem & aduocatum Concilij, ſaluum conductum Huſſo dediſſe: atque contra eius intentionem eum primò arreſtatum, & deindè incarceratum, ac poſtremò combuſtum eſſe: nos ſingula hæc breuiter expendamus.

Primò damus eum, titulo protectoris & aduocati Concilij, dediſſe Huſſo ſaluum & ſecurum conductum: & ad protectorem pertinere, vt omnes protegat ad Concilium vocatos, non tantùm Patres, ſed in vniuerſum omnes. Sed hic tantùm vocatus fuit ad purgandam ſuam cauſſam. Neque toleraſſet Rex violentiam vllam ei contra ius inferri. Cōcilium verò, quod ſupra eum erat, à iuſtitiæ complemento nullo iure prohibere potuit. Verum quidem eſt Sigiſmundum voluiſſe vt liberè pertranſiret, cū miniſtris, & impedimentis, ſed Conſtantiam vſque, ad cauſſam ſuam purgandam. Et tamen ſi in itinere ſparſiſſet ſua venena, potuiſſet etiam à ſæcularibus Principibus, Regi Romanorum ſubiectis, capi, & Conſtantiam deduci. Quomodo Hieronymus de Praga, in ſilua Bohemica captus fuit, à Præfecto vici, eo quòd multa ſcandala contra Concilium euomuiſſet. Cùm autem ſaluum conductum allegaret, reſponde-

sponderunt, se, omnemq; nobilitatem, fidelitatem iurasse Concilio: & proindè quia heri grauissimè obtrectauit Concilio, necessarium esse, vt ipsum captiuum Constantiā reducant.

Intentio quidem Regis fuit, quam diplomate suo expressit, vt sub saluo conductu, & fide Regia, caussam suam in Concilio Constantiensi expurgaret. Et intentio eius in genere fuit, dare ei sincerè communem saluum conductum, qualis dari solet ijs qui ad sese expurgandum citantur. Sicut multi intendunt bonum & validum facere testamentum, ideoque ex stylo notarij clausulas aliquas addi petunt, etiam eas, quas ipsi non intelligunt, imò quas postea per imperitiam malè interpretantur.

Itaque Sigismundus, dum bona fide ei daret saluum conductum, non cogitauit particularia illa, non patiar eum à Cōcilio arrestari, aut post fugam in carcere, aut potius in custodia detineri: & si pertinax esse velit, potestati sæculari traditum comburi. Hæc non fuerunt in eius cogitatione. Quòd si postea sibi persuaserit, multorum importunitate molestatus, hæc fieri contra securitatem á se promissam, errauit, & admonitus errorem suum correxit. Quamquā ego non credam in huiusmodi errore Maiestatem eius versatam fuisse. Sed cùm Bohemi, in fauorem sui Huss multum vrgerent, eum innocentem esse, nullaque falsa docuisse, sed tātùm per falsos testes obrui: facilè Regi humanitùs obrepere potuit, vt antea dictum est, contra securitatem promissam, à Concilio quædam violenter fieri, quibus à se occurrendum esse putaret.

taret. Verùm admonitus satisfactionem accepit.

Respondetur ad Decretum Constantiense.

Caput VIII.

ET postea Decretũ tulit Constantiense Concilium, occasione sumpta ex Sigismundi saluo conductu, quem Husso dederat, ex quouis saluo conductu per Imperatorem, Reges, aut alios sæculi Principes, concesso hæreticis, vel de hæresi diffamatis, putãtes eosdem sic à suis erroribus reuocare, quocunque vinculo se astrinxerint, nullum fidei Catholicæ, vel iurisdictioni Ecclesiasticæ, præiudicium generari, vel impedimentum præstari posse, seu debere: quo minus dicto saluo conductu non obstante liceat iudici competenti, & Ecclesiastico, de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debitè procedere, eosdemq; punire, quantum iustitia suadebit, si suos errores reuocarè pertinaciter recusauerint, etiamsi de saluo conductu confisi ad locum iudicij venerint, alias non venturi. Nec sic promittẽtem, cùm fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.

Hoc libro, cap. 6. Quod Decretum cùm supra satis explicuisse me putem, hoc tantùm hîc addo valdè inuerecundè contra Ecclesiam multos ex aduersarijs mentiri, qui scribunt in Concilio Constantiensi decretum esse, hęreticis fidem seruandam nõ esse,

ſſe,cùm in eo tantùm legatur, Decretum de ſuo conductu ſæcularis Principis,nullum impedimentum Eccleſiaſticæ iuriſdictioni generare, vt intueri locum volentibus,obuium eſt.

Argumenta ex euentu ſumpta, diluuntur.

Caput IX.

VErùm vt hoc decretum ſeponamus, & de nece illorum agamus,quos adhuc hodie Bohemi,vt magnos martyres, feſtis diebus honorant, ſi conſiderare velimus quid inde mali ſit conſecutum,videbitur nullo modo factum probari poſſe,tum quod ex illorum nece ſubſecuta ſit extrema vaſtatio regni Bohemiæ, cum eiectione & occiſione Eccleſiaſticorum,cum euerſione Eccleſiarum & monaſteriorum: tum etiam quod illud factum tantam hauerit mali ſpeciem, vt indè non modò malis, aduerſarijs noſtris, ſed etiam Catholicis quibuſdam, perſuaſum ſit Concilium Conſtantienſe fidem Huſſo violaſſe.

De feſto Ioan. Huß vide Heſſelium de communione ſub vna ſpecie, cap. 60.

Ad hæc breuiter reſpondeo.Multi valdè proni ſunt vt de rebus ex euentu iudicent. Quod Plinius non ineleganter annotauit. *Eſt*, inquit, *omninò iniquum, ſed vſu receptum, quod honeſta, vel turpia conſilia, prout malè vel proſperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur.* Quis docet nobis non eadem vel maiora mala fuiſſe ſecutura,ſi hi hæreſiarchæ relicti fuiſſent in vita, potiſſimùm cùm ſciamus maximas clades

Libro 5. epiſt. vlt.

Germa-

ensem intimauerat, se publicè respõsurum obijcientibus ei crimina erroris, & hæresis, dummodò ad veniendum saluus & securus conductus præberetur. Nihil proindè fecit Sigismundus contra suum saluum conductũ, quem Husso dederat, quia non dederat eum, nisi vt caussam suam purgaret.

Respondetur ad obiectionem, quæ sumitur ex literis Sigismundi, ad Bohemos scriptis.

Caput IIII.

VIdetur tamen dictis contradici posse ex literis Sigismundi, quas ad nobiles Bohemiæ & Morauiæ scripsit. In quibus legitur: *Nobis adhuc in partibus Rheni existentibus, Huß peruênit ad Constantiam, & ibi fuit arrestatus. Verùm si prius ad nostram Celsitudinem applicuisset, nobiscumquê ad Constantiam processisset, fortaßis negotia sua alium habuissent progressum. Et Deus nouit quod tanto dolore fuimus attriti propter casum suum, quod etiam verbo exprimi non potest. Sed etiam omnes Bohemi, qui tunc temporis nobis aderant, benè perpenderunt quomodo nostram solicitudinem pro ipso interposuimus, quod pluries furore permoti de Concilio exiuimus: imò verius de Constantia recesimus, quousque intimauerunt nobis, dicentes, Si nolueritmus admittere quod iustitia prosequatur in Concilio, quid tunc in hoc loco facere debeant. Sic cogitauimus quod*

Libro 4. Cochlæi.

in hac

in hac parte iam nihil facere poteramus. Neque etiam licuit nobis vlterius pro hoc negotio loqui, quia ex inde Concilium totaliter fuisset dissolutum. Annon apparet ex hac relatione Sigismundum, violentia Concilij coactum, securitatem Ioanni Husso violasse? aut saltē violationē eius tolerasse? Non sanè. Nihil enim, aut à Concilio, aut à Sigismundo, contra fidem datam actum est Husso. Statim quidem arrestatus est, absente Sigismundo, à Concilio. Sed hoc ne præsens quidem Sigismundus impedire debuisset, cùm non esset vocatus nisi ad purgandam causam suam. Et generali Decreto nullus à Concilio abire poterat, nisi obtenta venia: quod quia non videbatur ad Hussum esse extendendum, speciale arrestum ei fuit, auctoritate Synodi, nunciatum, vt videlicet non abiret, nisi data venia. Quomodo etiam nostro tempore in Camera Spirensi arresto grauantur, qui in ea sub saluo conductu comparent.

Facilè autem credo, quod si primum applicuisset ad Sigismundum, negotia eius fortalsis alium habuissent progressum.

Quod verò dicit, se pluries propter caussam Hufs furore permotum de Concilio exiuisse, scribit hęc vtcunque fortiter Bohemis, qui per necem Hufs ira commoti, fœdera, & ligas faciebant, vt eos minus sibi offensos haberet: & Principes aliquando furorem tantùm habent in labijs, vt non tam irati sint, quàm irati esse videri velint. Aliquando etiam ex præiudicijs & facilitate credendi, irascuntur. Quod facilè credo ex importuna solicitatione Bohemorum Sigis-

mundo accidiſſe, quando illi, fucatis mendacijs interpoſitis, clamabant contra honorem eius tractari à Concilio Ioannem Hufs. Nam & hic, cùm ad mortem duceretur, auſus fuit conqueri, & proteſtari, ſe occidi propter errores ſibi falsò impoſitos à falſis teſtibus, qui ſibi capitales fuerint inimici: vt non putandum ſit, minora mēdacia Regi Bohemos plauſibiliter obtruſiſſe, vt ei perſuaderent contra fidem ab eo datam, à Concilio malè Huſſum tractari: ſuiq; officij eſſe, ſuū honorem, contra iniuſtam Huſſi oppreſſionem, iuxta diploma datum, tueri. Hæc turbarunt optimum Regem, qui fidem ſuam Regiam immaculatam conſeruare volebat: vt mirum non ſit, eum non modo ira, ſed etiam furore, commotum fuiſſe. Omnis enim Regum ira, furor eſt, dicente vno ex illorum numero,

Prou. 19. *Sicut fremitus leonis; ita & Regis ira.*

Cæterùm poſtquam ſedatus Regis animus à ſacro Concilio ad ſingula reſponſionem accepit, ſatisfactum eſt ei, & facilè intellexit nihil contra fidem datam, vel à Concilio, vel à ſua Maieſtate, peccatum eſſe. Imò intellexit, quamuis tantùm ad expurgandam cauſſam ſuam Ioannes de Hufs ſaluum haberet conductum, velle tamen Patres propter honorem Regis, hoc eſt, quia id ille peteret, benè prædictum Huſſum tractare, & in gratiam recipere, ſi reſipiſcere vellet. Noluit Rex prudens, re perſpecta, Cōcilij actis contra niti, ſed potius eius honorem, & auctoritatem, non minus quàm proprium tueri. Vt tum ex dictis literis, tum etiam aliundè cognoſci poteſt.

Pulchrè

Pulchrè Cochlæus, ex fide Hussitæ illius, quẽ Islebiensis edidit. *Sæpe Rex ab ipso Ioanne Huß petijt, vt submitteret se Concilij iudicio, vt hæreses abiuraret, vt nolit pertinaciter sæpe damnatos asserere articulos. Atque etiam prædixit, ni desisteret ab ea pertinacia, fore vt Concilium suo in ipsum iure vsurũ esset, iuxta censuram sacrorum Canonum. Quin imò in faciem ei dixit, se Concilio promisisse, si ipse pertinaciter articulos erroneos assereret, quod nullum hæreticum velit manu tenere: imò mallet per sese, & solus, pertinacem hæreticum comburere, quàm defendere. Ideò sæpè suásit ei, vt se omninò submitteret Cõcilio, in omnibus. Quod si faceret gratiam inuenturus esset apud Patres ad honorem ipsius Regis, fratrisq́ue eius, & ipsius regni Bohemiæ. Si autem obstinatus permaneret, prædixit fore vt Concilium suo in eum iure sit vsurum.* Libro 2. Pag. 81.

Et rursus ex eiusdem Hussitæ fide, cùm Cardinalis Cameracensis vrgeret Hussum, vt errores suos abiuraret, ille verò diceret abiurare se non posse quod nunquam docuit: Rex ipse ait. *Audi Ioannes Huß. Cur non vis omnes erroneos articulos abiurare, quos aduersum te malè (vt tu dicis) testes deposuerunt? Ego tamen abiuro iam omnes tuos errores, quod nullum eorum tenere volo, non quod vllum eorum tenuerim prius. Respondit Huß: Clementissime Rex: hoc verbum abiurare non sonat ad hunc casum. Tum Rex, ecce duæ viæ propositæ sunt tibi: Vt abiures & reuoces errores condemnatos, subdasq́ue te gratiæ Concilij. Si autem eos defendere volueris,* Pag. 106.

 Concili-

Concilium & Doctores habent iura sua, quidnam tecum finaliter agere debeant. Et altero die. Quod heri dixi, iterum dico: non possum sæpe repetere, ætatem habes, si vis, percipe. Reuoces, & abiures omnes articulos damnatos, qui in tuis scripti sunt libris, & alios quos tenuisti, de quibus sufficienter conuictus es testibus. Et ij sunt viri præstantes, ac docti. Si autem illos adhuc vis defendere, Concilium aduersus te procedet iuxta tenorem suorum Canonum.

Vlricus quoque Richental scribit Sigismundum ad diem octauum Iunij, anno 1415. in refectorio Minorum ad Patres Cōcilij inter alia dixisse: *Audistis Reuerendissimi Domini, multa ex Ioannis Huß libris excerpta, quæ & ipse confitetur & sufficienter testibus conuicta sunt. E quibus vel vnum satis foret ad condemnandum ipsum. Quapropter si noluerit eos errores reuocare & abiurare, poteritis decernere vt ipse comburatur, aut agere cum eo iuxta iura vestra, sicut scitis: Scire quoque debetis, etiam si multa vobis promiserit se reuocaturum esse, atque illi etiam si hic reuocauerit, credendum non esse. Ego quoque ei credere nollem.*

Soluitur obiectio desumpta ex significatione salui conductus.

Caput V.

Fortassis tamen quidam dicent sese intelligere non posse quod Conciliū & Sigismundus fidem publicam inuiolatam seruauerint Husso & Pragensi, dum salui conductus significatio

gnificatio attenditur. Qui enim saluum sibi có ductum donari postulat, is expetit securitatem sibi annui. Ergo apparet Concilium, quando Pragensi, qui notoriè Vviclephi doctrinam per Bohemiam spargebat, dedit omnem saluũ conductum, sed tribus clausulis limitatum, iustitia semper salua, quantum in nobis est, & fides exigit orthodoxa: potius non eũ dedisse, quàm dedisse, eò quòd contradictio esse videatur in adiectis clausulis. Petebat enim Hieronymus de Praga præberi sibi saluum & securum conductum veniendi Constantiam. Notorium erat Constantiæ & vbique, eum esse hæresiarcham: multiq́ue parati erant vt contra eum testarentur. Igitur certus de morte euocabatur per saluum conductum, in quo ei nihil minus quàm saluus & securus conductus dabatur. In eodem impietatis gurgite notoriè immersus erat Ioannes Huss. Ergo dici non potest in saluo conductu' Sigismundi eas conditiones implicitè contineri, quas Concilium in citatione Hieronymi de Praga expressit.

Sine dubio admitto saluum conductum significare securitatem. Imò Concilium Tridentinum saluum conductum, quem appellant, de- *Post Se. 13.* scribit publicam fidem, plenamq; securitatem: & alibi, publicam fidem, & plenissimam, veris- *Post Sess. 14.* simamq́ue securitatem. Hoc est, quod Concilium Constantiense dixit, omnem nostrum saluum conductum.

Sed ordinarij & communis iuris est, nisi fiat cum expressa in particulari derogatione, vt nõ intelligatur saluus conductus sese extendere,

nisi ad purgationem causæ, vt excludatur omnis violentia, præter illam quæ post cognitionem causæ iure infertur. Quod hodie etiamnum locum habere in iudicijs Spirēsibus, à Ioachimo Mynsingero inter singulares iudicij obseruationes est, vt antea diximus, annotatum. Notorium proindè est ex praxi Synodum Constantiensem plenissimam & proprij nominis securitatem dedisse. Neque eam coarctasse, & multò minus euertisse, per expressionē clausularum, quæ in omni saluo conductu ordinario iure pro expressis habentur.

Libro 2. cap. 3.

Obijcitur intentio petentium fidem publicam.

Cap. VI.

Sed vrgeri potest, sicut in iuramento, sic etiā in fide & securitate maximè attendendam esse intentionem eius qui petit: dicente Isidoro, *Quacunque arte verborum quisq; iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit.* Illorum autem intentio fuit, vt quamuis à Patribus Concilij Constantiensis haberentur hæretici, possent tamen sub fide publica inter eos securè esse, & loqui. Igitur Sigismundus Hussum, & Patres conscripti Pragensem, fefellerunt.

Lib. 2. de Summo bono, cap. 31.

Nequaquam fefellerunt: sed omnia sincerissimè egerunt. Isidorus tantùm loquitur contra eos qui ita dolosè & artificiosè verba sua componunt, vt longè aliud quàm iurans intendat,

quam-

quamque verba exactè expensa significent, ab eo cui iuratur, concipi velint. Alioqui etiam ille, qui iuramentum petit, posset in dolo occultam habere intelligentiam, quàm iurans non assequatur. Hoc igitur significatur, vtrinq; sincerè agendum esse, fraude & dolo seclusis.

Concilium autem omnes clausulas tam clarè expressit, vt in doli suspicionem venire non possit. Quia autem Sigismūdus eas non expressit, videri posset decepisse Hussum, quantumuis ordinario iure in omni saluo conductu implicitè contineantur: nisi ex diplomate, & ex actis, quæ etiam aduersarij descripserunt, constaret Hussum tantum ad purgandam causam suam, fidem publicam, & petiuisse, & à Romanorum Rege obtinuisse.

Illos verò, Hussum & Pragensem dico, cum essent vulpeculæ, qui vineam Domini Sabaoth demoliri conarentur, non dubito in dolo petiuisse saluum conductum, quo se non sufficienter tutos esse sciebant. Non vt in eo confiderent, sed cùm à Concilio abesse nollent, vt saltem hac via, cùm aliter non possent, ad Patres intrarent. Cant. 2.

Homines enim superbia sua excœcati, qui totam ferè Bohemiam corruperant, persuadebant sibi se ingenio, eruditione, eloquentia, facilè Concilium Constantiense, aut saltem multos nobiles, multosq; Concilij Patres, in suam sententiam pertracturos, sic vt ab alijs nullam violentiam metuerent.

Obijci-

Obijcitur intentio Sigiſmundi dantis ſaluum conductum.

Caput VII.

QVòd ſi qui ex altera parte vrgere velint, Sigiſmundi Regis intentionem: eumque vt protectorem & aduocatum Concilij, ſaluum conductum Huſſo dediſſe: atque contra eius intentionem eum primò arreſtatum, & deindè incarceratum, ac poſtremò combuſtum eſſe: nos ſingula hæc breuiter expendamus.

Primò damus eum, titulo protectoris & aduocati Concilij, dediſſe Huſſo ſaluum & ſecurum conductum: & ad protectorem pertinere, vt omnes protegat ad Concilium vocatos, non tantùm Patres, ſed in vniuerſum omnes. Sed hic tantùm vocatus fuit ad purgandam ſuam cauſſam. Neque toleraſſet Rex violentiam vllam ei contra ius inferri. Cōcilium verò, quod ſupra eum erat, à iuſtitiæ complemento nullo iure prohibere potuit. Verum quidem eſt Sigiſmundum voluiſſe vt liberè pertranſiret, cū miniſtris, & impedimentis, ſed Conſtantiam vſque, ad cauſſam ſuam purgandam. Et tamen ſi in itinere ſparſiſſet ſua venena, potuiſſet etiam à ſæcularibus Principibus, Regi Romanorum ſubiectis, capi, & Conſtantiam deduci. Quomodo Hieronymus de Praga, in ſilua Bohemica captus fuit, à Præfecto vici, eo quòd multa ſcandala contra Concilium euomuiſſet. Cùm autem ſaluum conductum allegaret, reſponde-

ſponderunt, ſe, omnemq; nobilitatem, fidelitatem iuraſſe Concilio: & proindè quia heri grauiſſimè obtrectauit Concilio, neceſſarium eſſe, vt ipſum captiuum Conſtantiã reducant.

Intentio quidem Regis fuit, quam diplomate ſuo expreſſit, vt ſub ſaluo conductu, & fide Regia, cauſſam ſuam in Concilio Conſtantienſi expurgaret. Et intentio eius in genere fuit, dare ei ſincerè communem ſaluum conductum, qualis dari ſolet ijs qui ad ſeſe expurgandum citantur. Sicut multi intendunt bonum & validum facere teſtamentum, ideoque ex ſtylo notarij clauſulas aliquas addi petunt, etiam eas, quas ipſi non intelligunt, imò quas poſtea per imperitiam malè interpretantur.

Itaque Sigiſmundus, dum bona fide ei daret ſaluum conductum, non cogitauit particularia illa, non patiar eum à Cõcilio arreſtari, aut poſt fugam in carcere, aut potius in cuſtodia detineri: & ſi pertinax eſſe velit, poteſtati ſæculari traditum comburi. Hæc non fuerunt in eius cogitatione. Quòd ſi poſtea ſibi perſuaſerit, multorum importunitate moleſtatus, hæc fieri contra ſecuritatem á ſe promiſſam, errauit, & admonitus errorem ſuum correxit. Quamquã ego non credam in huiuſmodi errore Maieſtatem eius verſatam fuiſſe. Sed cùm Bohemi, in fauorem ſui Huſs multum vrgerent, eum innocentem eſſe, nullaque falſa docuiſſe, ſed tãtùm per falſos teſtes obrui: facilè Regi humanitùs obrepere potuit, vt antea dictum eſt, contra ſecuritatem promiſſam, à Concilio quædam violenter fieri, quibus à ſe occurrendum eſſe putaret.

taret. Verùm admonitus satisfactionem accepit.

Respondetur ad Decretum Constantiense.

Caput VIII.

Et postea Decretū tulit Constantiense Concilium, occasione sumpta ex Sigismundi saluo conductu, quem Husso dederat, ex quouis saluo conductu per Imperatorem, Reges, aut alios sæculi Principes, concesso hæreticis, vel de hæresi diffamatis, putâtes eosdem sic à suis erroribus reuocare, quocunque vinculo se astrinxerint, nullum fidei Catholicæ, vel iurisdictioni Ecclesiasticæ, præiudicium generari, vel impedimentum præstari posse, seu debere: quo minus dicto saluo conductu non obstâte liceat iudici competenti, & Ecclesiastico, de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debitè procedere, eosdemq; punire, quantum iustitia suadebit, si suos errores reuocarè pertinaciter recusauerint, etiamsi de saluo conductu confisi ad locum iudicij venerint, alias non venturi. Nec sic promittētem, cùm fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.

Hoc libro, cap. 6. Quod Decretum cùm supra satis explicuisse me putem, hoc tantùm hîc addo valdè inuerecundè contra Ecclesiam multos ex aduersarijs mentiri, qui scribunt in Concilio Constantiensi decretum esse, hęreticis fidem seruandam nō esse,

esse, cùm in eo tantùm legatur, Decretum de saluo conductu sæcularis Principis, nullum impedimentum Ecclesiasticæ iurisdictioni generare, vt intueri locum volentibus, obuium est.

Argumenta ex euentu sumpta, diluuntur.

Caput IX.

VErùm vt hoc decretum seponamus, & de nece illorum agamus, quos adhuc hodie Bohemi, vt magnos martyres, festis diebus honorant, si considerare velimus quid inde mali sit consecutum, videbitur nullo modo factum probari posse, tum quod ex illorum nece subsecuta sit extrema vastatio regni Bohemiæ, cum eiectione & occisione Ecclesiasticorum, cum euersione Ecclesiarum & monasteriorum: tum etiam quod illud factum tantam habuerit mali speciem, vt indè non modò malis, & aduersarijs nostris, sed etiam Catholicis quibusdam, persuasum sit Concilium Constantiense fidem Husso violasse.

De festo Ioan. Huß vide Hesselium de communione sub vna specie, cap. 60.

Ad hæc breuiter respondeo. Multi valdè proni sunt vt de rebus ex euentu iudicent. Quod Plinius non ineleganter annotauit. *Est*, inquit, *omninò iniquum, sed vsu receptum, quod honesta, vel turpia consilia, prout malè vel prosperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur.* Quis dicet nobis non eadem vel maiora mala fuisse secutura, si hi hæresiarchæ relicti fuissent in vita, potissimùm cùm sciamus maximas clades

Libro 5. epist. vlt.

Germa-

Germaniam & Galliam accepiſſe, Luthero & Caluino ea regna per hæreſes turbãtibus? Multa quidem mala eis occiſis, ſecuta ſunt, ſed ex malitia Bohemorum qui indè furoris ſui occaſionem ſumpſerunt. Et facilè credo Patres, aliam viam ingreſſuros fuiſſe, ſi præuidiſſent e iuſta duorum hæreſiarcharum nece tanta mala ſubſecutura: ſed viri optimi aliquando in ſuis prouidentijs falluntur, non ex prudentiæ defectu, ſed ex communi miſeria, quod multa euentura præuidere non poſſint. Certè cùm multi Alemanniæ & Bohemiæ Principes contra Huſſitas Catholico ſpiritu iraſcerentur, & arma ſumerent, fuit præter omnem Patrum, & Principum exſpectationem, tam crudelis Huſſitarũ inſolentia.

Quod verò nonnulli factum Concilij, fidei datæ violationem ſunt interpretati, id petulanter & malitiosè fecerunt: cùm nec occiſi vnquam ea de re conqueſti ſint: nec eorum ſectarij id ſenſerint. Quod ex eo euidẽtiſſimum eſt, quia eorum capita, & duces, ſi putaſſent, aut Sigiſmundum, aut Concilium, ſemel fidem ſuis Ducibus violaſſe, quorum exuſtionem ægerrimè ferebant, nunquam ab eodem Sigiſmundo ad Concilium Baſilienſe, paulò pòſt, euocati, comparere voluiſſent: diffidentiam ex priori facto allegantes. Sed cùm plebeij quidam, ex hoc facto miſſioni ſuorum contradicerent: alij eundum eſſe cõcludebant, modò antea in Egra de fide danda inter eos conuenirent. Non enim contenti erant fide ordinaria, qualem Huſs & Pragenſis habuerãt: ſed cum derogatione communis

munis iuris eam extendi voluerunt. Quod & Patres fecerunt.

Si qui sint autem inter Catholicos, qui putent fidem publicam Husso & Pragensi, dum pertinaces exurerentur, violatam esse, illorum error crassior est, quàm vt allegari debeat, cùm etiam aduersarij id falsum esse agnouerint. *Sess.4.*

Neque oportet speciem mali vrgere, cùm ex superioribus liquidum sit, nec Regem, nec Patres, fidem suam læsisse, idque etiam aduersarij agnoscant, etsi mali quidam malitiosè nedum speciem mali, sed etiam perfidiam commissam esse clament. Sed tales calumnias etiam Christus ex bonis operibus à Scribis & Pharisæis passus est.

Respondetur ad auctoritates. Caput X.

CAeterùm nostro tempore multum vrgetur ab hæreticis, qui contra Catholicos arma sumunt, eosq; grauissimè persequuntur, sese nō posse cum Catholicis vllam pacem facere, propter diffidentiam: eo quod Pontificij Theologi, & iurisconsulti, doceant hæreticis fidem seruandam non esse. Sed nos priori libro diximus, vtrosque contrarium docere. Fateor quidem esse aliquo numero Iurisconsultos, qui doceant fidem priuatam hęretico, quia est hostis publicus, seruandam non esse. Sed nullum scio Theologum, neque etiam clari nominis Iurisconsultum, quin conformiter doceāt, fidem publicam hæretico seruandam esse. De

quo solo præsens controuersia instituitur.

Incidi in vnum locum Dominici de Soto, quem nonnulli hũc in sensum intelligere possent. Vbi ait in tertio libro de iure & iustitia: *Est de iure gentium seruare fidem hostibus, vt seruare Legatos in bello. Tamen si caussa fidei contrarium posceret, non esset seruandum: immò si corrupta dogmata disseminarent, exurendi essent: neque dispensatione opus esset.* Hactenus Sotus. Sed generalis sententia intelligenda est, quando iuri communi in saluo conductu nõ est derogatum. Quod factum est vrgente publica necessitate in Concilio Basiliensi, & deinde in Tridentino. Synodus enim Tridentina Protestantibus concessit saluum conductum, cum omnibus & singulis clausulis & decretis necessarijs & opportunis, etiam si specialiter & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expressis haberi voluit, quantum ad ipsam Synodum spectabat. Et postea clarius: *Insuper omni fraude & dolo exclusis, vera & bona fide promittit, ipsam Synodum nullam vel manifestè, vel occultè, occasionẽ quæsituram: aut aliqua auctoritate, potentia, iure, vel statuto, priuilegio Legum vel Canonum, vel quorumcunque Conciliorum, præsertim Constantiensis & Senensis, quacumque forma verborum expressa, in aliquod huius fidei publicæ, & plenissimæ assecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ, ipsis per ipsam Synodum concessæ præiudicium quouis modo vsuram, aut quemquam vti permissuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat.* Hæc Synodus Tridentina, quæ ferè omnia

Artic. 3. quæst. 1.

nia verbatim sumpsit ex saluo conductu, quem Basiliense Concilium Bohemis dederat. Si quis verò scire velit, cum quibus clausulis derogatorijs saluus conductus Græcis datus sit, consulat eiusdem Synodi Sessionem XXIIII. *Seß. 4.*

Et iam antea Gregorius Magnus duos Episcopos, Petrum & Prudentium, ad se ex Histria euocauit, cùm intelligeret eos paratos esse venire, si promitteret, quod nullam molestiam sustinerent. Itaque eos vocauit, eo quod plus persona præsens, quàm epistola, satisfacit. Et promisit eos sine læsione vel molestia domum redituros, etiã si in sua dissensione, ac schismate, perdurarent. *Lib. 4. ep. 49. Indic. 13.*

Video etiã allegari posse ex Cochlæo, quod Rex Romanorum, cùm Hussus ex fuga reduceretur, libenter eum propter saluũ conductum liberasset, nisi à doctis viris accepisset responsum, nullo iure deberi saluum conductum hæretico in sua hæresi pertinaci. Hæc quidem Cochlæus scribit, seu potius apud eum Vlricus Reichental. Rectaque fuit illorum responsio: quod enim fides hæreticis in hæresi pertinacibus à Concilio Basiliensi, & postea à Tridentino data, seruanda fuit, hoc non debebatur illis iure, sed ex Ecclesiæ iudicio, cum derogatione iuris communis pro illis vicibus.

Argumentum ex perfidia hæreticorum sumptum examinatur.

Caput XI.

NVnc verò obijciuntur quoque communes

ſententiæ, quarum vna eſt, *Fidem frangenti, fides fra gatur eidem:* altera verò, *in malis promiſſis reſcinde fidem.* Quod ad priorem ſententiam attinet, vrgetur hæreticos eſſe ſine fide, eſſe perfidos, nullam ergo eis ſecuritatem, & fidem publicam, deberi. Sed ex eo rectè ſequitur, nulla vnquam fœdera, & pacta, cum eis ineunda eſſe, niſi ſumma cum prudentia, quando euidens neceſſitas ea flagitat. Quamuis autem illi Deo fidē frangant, ideo nō licet nobis cum eis pacta inita violare: qui enim alteri infidelis eſt tibi fidelis manere poteſt. Et regula iuris intelligēda eſt de cōnexis pactis, quæ ab vtriuſq; partis obſeruatione dependēt, & mutuam fidē requirūt. De ijs dicitur. *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſeruari, cui fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat.* Tametſi igitur Deo infideles, difficulter nouerint pacta ſua, potiſſimùm quę religionem concernunt, hominibus ſeruare, quando tamen cū eis pacta legitimè ineuntur, ſincerè ea ſeruanda ſunt. Et tamen aliquando deprehendimus perfidos homines interdum melius ſeruare fidem, quàm ij, qui eam maximè deberent ſeruare. Docuit quoque nos ſuo exemplo Simon Machabæus, qui ſuſpectam habebat Tryphonis fidem, quod ex neceſſitate oporteat aliquando paciſcentem ſe periculo exponere.

1. *Mach.* 13

Diſputatur num quicquid hæreticis promittitur, malum ſit.

Caput XII.

ILlud verò Iſidori, quod in Theologicis & Canonicis

nonicis ſcholis vſitatum eſt, *In malis promiſſis, reſcinde fidem*: intelligitur de illis promiſsis, quæ in ſe inuolutam habent malitiam, vel vt plenius & clarius dicam, vi obligandi carent omnia promiſſa, quæ aut in ſe, aut in ſua cauſa, peccati tupitudinem habent: ea quoque quæ et ſi ab initio mala non ſint, poſtea tamen mala fiunt. Illa enim quando malitia ineſt (ſemper autem loquar de illa malitia, quæ peccatum eſt) pro non iuratis haberi debent, quia deeſt iuramenti materia. Hoc eſt quod Gregorius nonus dicit, *Iuxta legitimas ſanctiones, pactum turpe vel rei turpis, aut impoſſibilis de iure vel de facto, nullam obligationem inducit.* *De pactis, cap. Pactiones.*

Velle verò reſcindere fidem, quando illud quod rectè promiſſum eſt, aliquid mali vel cõſequitur, vel conſequi videtur, quid hoc eſt aliud quàm omnem vim publicæ fidei eneruare? Cùm enim fœdera ferè fiant inter regna, Reſpublicas, Principes, & poteſtates, quàm facilè fœdere initio aliquid mali conſequitur? Vndè ſi fides reſcindi poſſet, non video quomodo nõ dico omnis, ſed vnius, controuerſiæ ciuilis, finis poſſit eſſe iuramentum, vel fides publica.

Dicet fortaſſis aliquis, ſemper in ſe malum eſſe, quandocunque aliquid hæreticis promittitur. Sunt enim illi ſubuerſi, & ſubuerſores. At his ſecuritatem dare vt ad Concilium veniant, & vt etiam ſi pertinaces ſint, ſecurè recedãt, in ſe malum eſſe videtur. Quod enim ſubuerſi ſunt ſcribit Apôſtolus, volens eos poſt vnam & alteram correptionem vitari, quia ſubuerſi *Tit. 3.*

 ſunt.

ſunt. Subuerſores quoque ſunt, quia habent naturam lupi & ſerpentis, quia vbicunque ſunt, volunt oues mactare, & venenum ſuum diffundere. Ergo videntur nec ſub ſaluo conductu, cùm ſpes correctionis non ſit, ad Concilium vocari poſſe.

Hæc & alia nonnulla obijci poſſunt, & quorundam animos angere, vt putent nec ſecuritates, nec fœdera, etiam ſi promittantur, ſeruari poſſe. Itaque vt vtrinque auferatur diffidentia, nihil tutius eſt, quàm vt in rebus tanti momenti, & quæ periculosè tractantur, ipſius etiam Maximi Pontificis auctoritas interueniat, vt quod ſemel benè tractatum eſt, poſtea abſque ſcrupulo & remorſu retineatur, quamdiu aduerſarius apertè pacta non tranſgreditur.

Fateor quidem malum eſse quod hæretici, qui ſunt ſubuerſi & ſubuerſores, Concilio interſint, aut quod cum eis fœdera & pacta ineantur. Sed hæc malitia eſt ex parte illorum. In præſenti autem negotio loquimur de malitia quæ ſit ex parte promittentium illis aut fidem publicam, aut fœdus aliquod. Quod aliquando ipſi etiam Eccleſiæ Proceres licitè ex neceſſitate, & vtilitate magna, fieri agnoſcunt, non tam propter eos qui ſubuerſi ſunt (quamquam hîc etiam Eccleſia contra ſpem in ſpem nitatur) quàm propter alios,

Diſcu-

Discutiuntur quidam scrupuli orti ex saluo conductu Concilij Tridentini, & Basiliensis.

Caput XIII.

ALioqui si nostras priuatas cogitationes velimus publico iudicio, aut superbè, aut imprudenter, anteponere, in ipsis etiam securitatibus quas plenissimè nuper Concilium Tridentinum, & anteriori sæculo Basilienses Patres dederunt, inuenientur quædam, quæ nonnulli malè intelligentes, turpia & mala esse dicent.

Quale illud est, quod dent eis securitatem, vt eant & redeant saluis rebus eorum, & honore. Sed hîc tantùm significatur quòd non poterunt priuari suis officijs & dignitatibus. Alioqui sese coram Deo & bonis hominibus per hæreses multum exhonorauerunt, & infamauerunt.

Deindè, quòd Concilium Tridentinum det omnibus Confessionis Augustanæ securitatem veniendi Tridentum, videtur imprudentiæ esse, quia potuissent præualere bonis. Sed contra talia pericula fuisset protectio, nec intendebant Patres vt omnes venirent, sed, sicut in talibus Consessibus fieri solet, vt capita, & nomina omnium deputati aliquot interessent.

Est tertium, quòd non velit euocatos sub assecuratione, prætextu religionis, aut delictorum circa eam commissorum, aut committen-

porum,puniri. Sed agitur de delictis in disputando, citra tamen exorbitantiam: quia alia delicta voluerunt Patres per Augustanæ Confessionis homines puniri. Inter quę delicta locum suum habet irrisio mysteriorum & ministrorum nostræ religionis. Noluerunt etiam Patres euocatos puniri ob falsam religionem vel excommunicatione, vel alia aliqua pœna, qua salua assecuratione eundi ac redeundi, viderētur alioqui puniri posse.

Est quartum, quod Fontidonius contra Fabricium scribat, Pontificem per Legatos petijsse vt Germani suo arbitrio fidem publicam qua vellent forma conficerent: se illi libenter esse subscripturum. Sed non intellexit Pontifex, quod possent quæ malitiam inuoluerent, in ea adijcere.

Est denique quintum, quod adijcere potuerint se velle Tridenti suæ religionis exercitium habere, sicut Bohemi suum Basileæ habuerunt, quod videtur esse expresè malum. Sine dubio in Basiliensi saluo cōductu legitur: *Ac in loco, vel in locis, hospitiorum suorum, diuina officia sine impedimento nostrorum agere permittimus*. Et fuit illud expresè malum ex parte Bohemorum, sed ex necessitate permitti & tolerari potuit, illis vrgentibus. Neque enim Basilienses Patres hanc cōditionem eis vltrò obtulerunt: sed ex necessitate tolerarunt. Nam iam antea in Egra conuenerant, qualem securitatem habere vellent. Sed hæc, & similia, priuata dubia, contra publicum iudicium vrgere velle, non est hominis prudentis.

Respon-

Respondetur ad obiectionem sumptam ex dispensatione Pontificis.

Caput XIIII.

VErum putãt aduersarij multi contra nos fortissimum esse telum, quod ex auctoritate & dispensatione Pontificis sumitur. Hoc est quod Montanus, contra Concilij Tridentini fidem scribens, obijcit; Neque Concilio, neque Pontifici, fidem adhibendam esse, vel ob eam causam, quòd cùm Pontifex, Reges & Imperatores à iuramentis, pactis & conuentis absoluat, quid vetat quò minus ea in causa propria fruatur? Cui respondeo: Romani Pontificis auctoritatem nullam esse ad destructionem, sed ad ædificationem. Quia autem absque magna destructione nõ posset dispensare, vt fides publica, à Concilio, aut Principe, violetur, ideo dispensationis eius auctoritas, & potestas, eò se non extendit. Neque vllum hactenus extitit, aut vnquam extabit, huius rei exemplum. Nam si Romanus Pontifex semel in fidei publicæ transgressione dispensaret, quod hoc non foret legitima dispensatio, sed potius dissipatio, probatur; quia deinceps nemo posset securus esse habito à Rege, aut alterius tituli Principe, saluo conductu, aut solenni iuramento: eo quod semper periculum foret ne Regia potestas id via dispẽsationis extorqueat, quod semel concessum esse nouit.

2. *Cor.* 13.

Hebr.6. Et vbi tum erit illud Apostoli, *Homines per maiorem sui iurant: & omnis controuersia eorum finis, ad confirmationem est iuramentum?*

Libr.8. de iure, quaest. 1. cap. 9. Huc etiam pertinet quod Dominicus de Soto, Salamanticensis Theologus, scribat, Pontificem non posse relaxare iuramentum, cum praeiudicio eius, cuius interest.

Quando autem Pontifex subditos à iuramẽto fidelitatis absoluit, quod nunquam facit, nisi grauissimis ex causis, &, vt nonnulli scholasticè loquũtur, in ordine ad finem spiritualium, tum etiam dominum suo dominio, aut priuat, aut priuatum esse declarat. Cuius pertractatio non est praesentis loci.

Soluitur obiectio ex verbis Augustini de Attilio sumpta.

Caput XV.

Est alia obiectio, qua Zasius se dicit Eckium iugulare, quod Augustinus apertè testetur Attilium iuramento non curato in ciuitate remanere potuisse si voluisset. Sed hoc apud Augustinum non legitur. Probat Zasius, quia scribit, *Nec post persuasionem à suis ad hostes redire compulsus est: sed quia iurauerat, id spontè repleuit.* Verba haec, & sensum, agnosco. Spontè ad hostes redijt, quia non est à suis redire compulsus. Inter haec enim ponitur aduersatiua. Redijt tamen quia iurauerat, hoc est, vt inferius loquitur, propter iurisiurandi fidem.

Libr. 1. de Ciuit. Dei, cap. 15.

Nec aliter intelligendum est quod ex Cicerone

rone adfert, Regulum retinendi officij causâ cruciatum subijsse voluntarium. Quo enim in loco hæc scribit, ibidem legitur. *Neque eum charitas patriæ retinuit, nec suorum. Neq; verò tum ignorabat se ad crudelißimum hostem, & ad exquisita supplicia proficisci: sed iusiurandum conseruandum putabat. Itaque tum, cum vigilando necabatur, erat in meliori causa, quàm si domi senex captiuus, periurus, Consularis remansisset.* Et rursus. *Est enim iusiurandum affirmatio religiosa. Quod autem affirmatè, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est. Iam enim ad iustitiam & fidem pertinet.* Lib. 3. officiorum.

Vrget quoque ex Augustino Zasius, Regulũ proculdubio falli, si hoc propositum vtile suæ vitæ existimaret, cuius tam horrẽdum exitum meruit. Quid hæc Zasi ad rem faciunt? Apud Augustinum legitur non *suæ vitæ*, sed *huic vitæ*. Loquitur enim de temporali felicitate, quam distinguit à futura post hanc vitam felicitate, & eius exemplo defendit contra terrenam ciuitatem Christianos. Ille enim deos sic coluit, vt propter iurisiurandi fidem, ad suos acerrimos inimicos redire minimè dubitaret. Hoc, inquit Augustinus, *si huic vitæ vtile existimabat, cuius tam horrendum exitum meruit, proculdubio fallebatur. Suo quippe docuit exemplo nihil deos ad istam temporalem felicitatem suis prodesse cultoribus. Si autem cultus deorum post hanc vitam velut mercedem reddit felicitatem, cur calumniantur temporibus Christianis, ideo dicentes vrbi accidisse illam calamitatem, quia deos suos colere destitit, cùm* Citat cap. 15.

potue-

potuerit etiam illos diligentißimè colens tam infelix fieri, quàm ille Regulus fuit? Si autem dicunt Marcum Regulum etiam in illa captiuitate, illisque cruciatibus corporis, animi virtute beatum esse potuisse, virtus potius vera quaratur, qua beata poßit esse & ciuitas.

Addit denique Zasius. Quamuis hoc Attilij facinus à veteribus, Cicerone, Valerio, & alijs, tanquam egregium celebretur, ego tamen pro nostrorũ temporũ iure & moribus, hoc nõ laudo. Hæc ille, sed ego, etsi cõtra Iuriscõsultũ nullum in alienam arenam descendam, Zasio tamẽ respondeo: eum in hac parte contra cæteros sapere, aut potius desipere. *Virtute beatum esse Regulum*, ait Viues, *Cicero sentit multis in locis, sic Seneca, sic docti & Sapiẽtes omnes, qui de eo loquũtur.* Meritò certè, exclamat Augustinus, *laudant virtutem, tam magna infelicitate maiorem.*

Ad lib. de ciuit. Dei 1. cap. 15.

Cicero quoque fidem hosti seruandam esse, non tantùm ex sua, sed ex Censorum quoque sententia, scribit, libro primo de Officijs, ad Marcum filium. *Si quid, ait, singuli temporibus adducti hosti promiserint, est in eo ipso fides conseruanda. Vt primo Punico bello Regulus captus à Pœnis, cùm de captiuis commutandis Romam missus esset, iurassetque se rediturum: primum vt venit, captiuos reddendos in Senatu non censuit, deindè cùm retineretur à propinquis, & ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere. Secundo autem Punico bello, post Cannensem pugnam, quos decem Amibal Romam adstrictos misit iureiurando se reditu*

Censores erant magistri morum.

Liuius lib. 2. secundi belli Punici.

Gell. lib. 7. cap. 18.

reditu

redituros esse, nisi de redimendis ijs, qui capti erant, impetrassent: eos omnes Censores, quo ad quisque eorum vixit, qui peierassent, in ærarijs reliquerunt: nec minus illum qui iurisiurandi fraude culpam inuenerat.

Inter ærarios eos retulerunt: hoc est, inter plebeios pro capite æra pendentes.

Respondetur ad ea quæ de Attilio scripsit Calcagninus.

Caput XVI.

CVm autem Cicero multis in locis exemplum Reguli, vt Cælius Calcagninus scribit, quasi singulare fidei testimonium extollat, mirum est hunc Calcagninum, voluisse illud nō modò in examen, disquisitionemq́ue pertrahere,, sed etiam multis ex causis improbare. Verum audet ille dicere Ciceronis & scriptorum plerorumq́ue morem esse, inseruire tempori, & quoque iure, quaque iniuria, proposito patrocinari.

In fine Disquisitionū, in Officia Ciceronis.

An igitur eadem labe maculabit diuum Augustinum, qui hoc exemplum vocat nobilissimum? qui & alio in loco dicit, *Inter omnes suos laudabiles & virtutum insignibus illustres viros non proferunt Romani meliorem, quem neque felicitas corruperit, nam in tanta victoria pauperrimus permansit: nec infelicitas fregerit, nam ad tāta exitia peruenit*: an etiam cum Augustino, & Cicerone, omnes doctos & sapientes, quos sic Viues sentire scribit, damnabit? Quid hoc est aliud, quàm insanire?

Libr. 1. de Ciuit. Dei, cap. 15. Ibi. c. 24.

Sed rationes profert: & multas. Fateor, verũ in multiloquio eius, quo omnibus doctis & sapientibus contradicit, multiplex est peccatum. Quæ quidem singulatim pertractare non difficile, sed prolixum foret. Quare ea audiamus quibus eius fidem, quod ad nostrum spectat institutum, oppugnat. Regulus inquit, non modò ea parte hostem fallit, quod de reddendis captiuis nihil agit: neque liberum iudicium, vt par erat, Senatui relinquit: sed ipse contra morem patriæ, contra datę fidei Sacramentum, non modò non suadet faciẽdum quod suadendum susceperat, sed quantum potest hortatur, ne id fiat, cuius causa Legatus aduenerat. Quid est obsecro præuaricari, si hic non præuaricatur? quid fidem frangere, si hic non frangit? Respondeo tibi Cęli, omnia falsa esse, vt tua pace apertè loqui liceat, quæ assumpsisti. Dicis, nihil Regulum de reddendis captiuis egisse. Et Cicero, quem impugnas, contrariũ dicit. *Itaque*, ait, *quid fecit? In Senatum venit: mandata exposuit*. Addis neque liberum iudicium, vt par erat, reliquisse. Et non aduertis ad id quod sequitur. *Sententiam ne diceret recusauit*. Sed ipse, inquis, contra morem patriæ suadet ne id fiat, cuius causa Legatus aduenerat. Nihil egit contra morem patriæ. Sciuit se, interim dum hosti obstrictus erat, neque ciuem, neq; Senatorem, esse. *Sententiam ne diceret*, ait Cicero, *recusauit*. Et mox subiecit: *Quamdiu iureiurando hostium teneretur, non esse se Senatorẽ*. Dixit proinde sententiam suam non contra morem patriæ, vt ciuis,

tis, vt Senator, sed cogente roganteq; Senatu, reddi captiuos negauit esse vtile. Quarto vrget eum contra datæ fidei Sacramentum suasisse ne id fiat cuius causa Legatus aduenerat: Nihil minus: aduenerat Legatus ad proponendum, non ad persuadendum. Multò minus iura uerat se quicquã persuasurum, sed *Iuratus missus est ad Senatum, vt nisi redditi essent Pœnis captiui nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem.*

Pergit Cælius. Quid quod neque suum, neq; suorum, commodum videtur satis intellexisse, quum patriam tanto ciue, amplissimum ordinem tam eximio Senatore, totam deniq; Rempublicam tam forti Imperatore orbauit. Imò intellexit. *Sed iusiurandum conseruandum putabat. Itaque cùm vigilando necabatur erat in meliori causa, quàm si domi senex captiuus, periurus, & consularis remansisset.* Hæc est, non Ciceronis tantùm, sed omnium bonorum & sapientum sententia. Etsi Cicero animaduerterit quosdam imprudentes fore, qui ad temporalia tantùm commoda attendentes, eius factũ damnarent. Contra quos paulò antè exclamat. *Atque illud etiam (ô stultum hominem, dixerit quispiam, & repugnantem vtilitati suæ) reddi captiuos negauit esse vtile.* At tu mihi fidem, iusiurandum, promissorum constantiam ingeris, ait Cælius, quasi verò ego aduersus hæc non possim vxoris, & liberorum, & totius familiæ, amicorumque, beneuolentiam, tum etiam patriæ charitatem, & cætera necessitudinum pignora, regerere. Adde amoris vinculum, quo quisque sibi naturæ instinctu deuincitur. Turpe enim est, & prope

impium eum non se tanti facere, quanti virtutes & splendor animi, & rerum à se gestarum gloria postulat. Rectè monet Cælius id turpe esse: sed Regulus tanti se fecit. Vndè Cicero in
Parad.2. Paradoxis scribit: *Nec ego Marcum Regulum ærumnosum nec infelicem, nec miserum, vnquam putaui. Non enim magnitudo animi eius cruciabatur à Pœnis, non grauitas, non fides, non constantia, non vlla virtus: non denique animus ipse, qui tot virtutum præsidio munitus, tantoq́ue comitatu virtutis septus, cùm corpus eius carperetur, carpi certè ipse non potuit.* Quod verò Cælius regerat contra fidem, vxoris, liberorum, familiæ, amicorum, patriæ, & sui ipsius, amoris vinculum, id inconsideratè facit homo Christianus, cùm à Christo Saluato
Luc.10. re nostro dictum sit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Dei enim honorem omnibus alijs præponendum esse etiam gentiles nobiscum agnouerunt. Ideoque Reguli exemplum est apud omnes memorabile.

Argumenta dissoluuntur quibus quidam vtuntur, vt conuincant, non posse eam esse Reipublicæ necessitatem, vt religionis libertas ex pacto tolerari posit.

Caput XVII.

Porrò sicut licet aliquando iustis & grauibus de causis religionis libertaté aliquam hære-

hæreticis concedere, non quidem probãdo malum, sed tolerando: ita licet quoq; de tolerando pactum inire. Poteſt enim in pactum deduci, quicquid facere licet. Sed contra hanc ſententiam varia proponuntur hoc tempore argumenta, quæ paucis diſſoluenda reſtant.

Obiectio I.

Princeps iure naturali & diuino tenetur impedire religionis libertatem, & hæreticos occidere.

Reſponſio.

Rectè. Sed vt ſcholæ loquuntur, affirmatiua præcepta obligant ſemper, & non ad ſemper. Hinc Dauid tempore regni ſui tolerauit, homicidam Ioab, nec tolerando eum peccauit contra Domini præceptum, *Maleficos non patieris viuere*: quia ſubintelligitur, quantum in te eſt, & quantum Reipublicæ pax & tranquillitas poſtulat. Et proindè quando ex punitione maleficorum maiora mala exorirentur, cogitur Princeps ad tempus habere patientiam. 3.Reg.2. Exod.22.

Obiectio II.

Affirmatiuum illud præceptum tunc maximè obligat quando neceſſitas Reipublicæ id requirit.

Reſponſio.

Sed publica vtilitas interdum exigit ne id fiat, & vt libertas aliqua toleretur.

Obiectio III.

Quantacunque ſit Reipublicæ neceſſitas, non poteſt cum latronibus iniri pactum, vt liberè latrocinentur: ergo neque vt hæreſis graſſetur tolerari, & in pactum deduci poteſt.

Reſponſio,

Latrones plerunq; pauci ſunt, qui tolli poſſunt. Sed alia ratio foret ſi latrones manu hoſtili & militari pat: iam inuaderent, ſicut faciebant latrunculi Syriæ.

Obiectio IIII.

Princeps aut poteſt libertatem impedire, & tenetur: aut non poteſt, & tunc fruſtra paciſcitur.

Reſponſio.

Fieri poteſt vt poſſit impedire libertatem religionis, quia vires ad eam impediendam nō deſunt: quomodo proſtibula, & vſurarios publicos tollere poteſt: ſed tamen benè intelligitur id non poſſe, quod ſine conſecutione grauioris mali non poteſt.

Ideoque adhiberi debet hîc diſtinctio inter ſimplicem patientiam & tolerantiam, quia toleramus ea quæ poſſemus, quia vires nō deſunt tollere: patientiam autem habemus in ijs rebus, quæ corrigere aut mutare non valemus. Id igitur rectè dicimur non poſſe, quod expedit non facere.

Obiectio V.

Tolerare malum quod impediri poteſt, eſt malum. Ergo Princeps ſi id promiſit, debet promiſſum ſuum, quia malum eſt, reſcindere.

Reſponſio.

Sed iam dictum eſt, quod poſſit impedire, quia vires non deſunt: & quod nō poſſit, quando non expedit.

Obiectio VI.

Nullum poteſt eſſe grauius malum, quàm

quod

quod animæ infertur, igitur potius Princeps permittat omnes occidi, quàm hæresim præualere:

Respónsio.

Si Princeps ne corona eius minuatur, permittat animas interfici, non benè facit. Sed potest aliquando tolerari minus malum, vt vitetur maius. Rectè enim tolerantur hæretici, habere in ciuitate vnam Ecclesiam, ne occupent omnes. Nónne melius est, vt Catholicis sit aliqua libertas, quàm nulla? Malles ne illum statum vbi minus est mali, quam vbi totum est malum? Licitum ergo erit pactum, quod pertinet ad mali imminutionem.

Obiectio VII.

Impossibile est in eadem ciuitate varias religiones cõtineri. Vndè Moyses ad Pharaonem ait: *Si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij coram eis, lapidibus nos obruent.* Exod. 8.

Responsio.

Melius est pati lapides hæreticorum quàm illis annuere in hæresi sua omnem libertatem.

Obiectio VIII.

Non oportet fidere hęreticis, ergo nec pacisci cum eis.

Responsio.

Responsum est hoc libro, capite IX.

Obiectio IX.

Aliquid authoritatis additur hæresibus, per pactum, quando publica lege tolerantur.

Responsio.

Quemadmodum nihil authoritatis additur vsuris & prostibulis, & Iudæorum ceremonijs,

dum ea tolerantur, ita nec hæresi aut schismati, pactum de tolerando, authoritatem addit. Nec hic est lex propriè, sed promissio tolerantiæ.

Obiectio X.

Occupatio hæreticorum est contra religionem, ergo & eorum permissio.

Responsio.

Non sequitur. Nam turpitudo prostibulorũ est contra pudicitiam: & tamen eam tolerare non est contra turpitudinem.

Obiectio XI.

Tolerare libertatem aut est bonum, aut est malum. Si est bonum, licet semper. Si est malũ, nunquam, & nusquam licet.

Responsio.

Tolerare malum si esset bonum simpliciter sicut opera virtutis, tunc omni tẽpore liceret: sicut semper licet amare Deum. Sed multa sunt bona ad aliquid, pro tempore & loco, & aliquibus. qualia sunt ieiunare & iurare. Sic tolerare malum, vrgente necessitate, & adhibita prudẽtia, bonum esse potest. Quare propositum argumentum non plus efficaciæ habet, quàm istud, Bibere vinum aut est bonum, aut est malum. Si est malum, nunquam licet. Si est bonum, semper licet. Et febrientibus vinum non erit nociuum.

DE

DE FIDE REBELLIBVS SERVANDA, LIBER IIII.

Argumentum Libri quarti. Caput I.



VM tribus libris tractatum sit de fide hæreticis seruãda, quarto libro nonnulla subijciam de fide rebellibus seruanda. Nam & hic quædam occurrunt, quæ videntur aduersarios qui á Catholica fide, & à Catholici Principis obedientia defecerunt, retrahere posse, ac retardare, ne clementiæ eius æquissimas conditiones accepten. Qualia sunt, quod nonnulli scribere videantur, conuentiones, quas subditi per rebellionem extorquent, seruandas non esse: si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nullam fraudem esse, ne si iuratus quidẽ id nõ feceris: pactum perpetuæ securitatis cum hæreticis initum, non obligare: subditos ad seruãda pacta cum Principe inita obligari, etiam si Princeps ea non seruet: regem esse dominum terræ, quodque populus iure pati debeat, & nõ resistere, si Rex eorum bona occupet. De quibus sententijs quid sit sentiendum vt deinceps scribam, amor me & Christianæ Reipublicæ, & eorum qui inde exiuerunt, propellit.

Memorabile in Gregorio Magno obedientiæ exemplum, qui iniquam Augusti legem publicauit.

Caput II.

Est autem memorabile in Gregorio Magno sanctissimo Pontifice, obedientiæ exemplū. Sub eo Pontifice, Mauritius Augustus Imperator legē tulit, ne ei qui in terrena militia signat⁹ fuerit, liceat nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulso, ad militiā monasticam transire. Quam legem, antea à Iuliano apostata latam, & posteà à prædicto Mauritio Imperatore post victoriam quā de Persis obtinuit, repetitam, Gregorius duram & iniquam esse non dubitauit. Et tamē scribit de ea ad Mauritium. *Ego iussioni subiectus eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa omnipotenti Deo minimè concordet, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nunciaui. Vtrobique ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi minimè tacui.*

Lib. 2. ep. 61. Indictione 11.

Hic videri posset optimus Pontifex peccasse in illud, *Oportet obedire Deo magis quam hominibus*. Sed considerauit sanctitas sua, legem malè latam ad tempus modicum citra Dei offensam practicari posse. Itaque iussioni subiectus, legem per diuersas terrarum partes transmisit: quæ

Actor. 5.

quæ debere se iudicauit, exoluit: & tamen pro Deo minimè apud Imperatorem tacuit, legem latam, à sua Maiestate, reuocandam esse. Quam si Maiestas reuocare noluisset, Pontifex publicè nō tacuisset eam iniustè & malè contra Deū latam esse. Sed iudicauit se eam debere Imperatori reuerentiam, & obediētiam, vt id quod citra Dei offensam ad tempus tolerari poterat, publicaret, ac reuocationem non nisi priuato ad suam Maiestatem scripto solicitaret.

Docentur itaque omnes subditi hoc memorabili summi Ecclesiastici Principis exemplo, vt summa cum reuerentia Regibus obediant, eorumque leges & mandata nec præcipitanter, nec temerè, nec curiosè dijudicent. Non enim ille, de maioris sententia iudicat, cuius officium est obedire, & implere quæ iussa sunt.

An rebellare sit per se malum.

Caput III.

EX superioribus colligitur duplicem esse inobedientiam: vnam propriè dictam in rebus licitis, in quibus quis alteri subest: aliam impropriè dictam, eamque & in rebus illicitis, in quibus Deo magis obedire oportet, quàm hominibus: & in rebus licitis, in quibus præcipienti obedientia non debetur. Exempli gratia, si parens filio mandet ingredi monasterium: si maritus vxori, vēdere dotem: si Rex populo, nunquam bibere vinum.

Similiter duplex est rebellio, vna quæ Deo

multum displicet,& per se mala est,quando potestati resistitur in ijs, in quibus obedientia & subiectio debetur.Imò & tunc non modò species rebellionis, sed & vera est rebellio, quando ob caussam quidem licitam superiori resistitur,sed modo & ordine illicito.Quod facilè fit,quando inferiores contra superiores suos, aut litem,aut arma,quantumuis defensiua,suscipiunt. Etsi enim ob iustam causam resistere non sit propria locutione rebellare esse, tamē potest rebellio in modo procedendi.

Cæterùm generatim & extensiuè rebelles dicuntur, quicunque ex quacunque caussa, superioribus suis resistunt. Quod in quibusdam casibus aliquando sanctè fieri posse,& aliquando omitti non posse, non est dubitandum. Hi igitur à proprij nominis rebellibus sunt secernendi.

Fidem rebellibus seruandam esse.
Caput IIII.

AD vtrosque tamen pertinet quæstio, qua quæritur an conuentiones quas subditi per rebellionē extorquent,seruādæ sint, an non sint,. Quidam asserunt seruandas non esse. Quæ sententia si vera sit, irrita erunt & illusoria omnia pacta, quæ hactenus Alexander Farnesius,& auunculus eius Philippus Catholicus Rex, cum rebellibus subditis transegerunt. Quòd pientissimæ eorum aures horrent
Prou. 17. audire. Sciunt enim non decere Principem labium mēdax, & nullam rē vehementiùs Rempublicam

publicam continere quam fidem: Sciunt non modo publica cum hostibus, sed etiam priuata cum quibuscunque pacta sanctè conseruanda esse, ac fidem rerum promissarum maximè apud Principem consistere oportere. Didicerũt in schola Christi illud Apostoli, *Induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem, vnusquisq; cum proximo suo.* Itaque facessat perniciosum & seditiosum illud dogma, quod castæ aures audire nolunt. *Ephes. 4.*

Quamquam enim magnum discrimen constituatur inter rebelles & hostes, eò quòd rebelles nullum habeant ius hostile, ex vsu tamẽ loquendi hostes vocantur omnes contra quos arma feruntur. Atque vt demus his nihil belli iure deberi, debentur tamen eis quæcunq; per conuentiones promittuntur. Et sicut vsu loquendi hostes dicuntur, ita eadem phrasi dicuntur iure belli pacẽ, inducias, pacta, redemptionem, & similia postulare.

Ad obiectiones respondetur.

Caput V.

Sed videamus qui colores proferantur contra communem, veram, ac indubitatam sententiam, pro priuata paucorum opinione.

Obiectio prima est,

Bodinus libro primo de re publica dicit nullas couentiones minus firmas esse, quam quas *Cap. vlt.*

 faci-

faciunt subditi rebelles cum suo Principe.

Responsio.

Fateor Bodinum id scribere in Gallico opere de Republica. Ideoque consulit vt Princeps extraneus, aut vicinus, pro eis paciscatur. Verum huius Scriptoris nulla est apud me authoritas, eo quod in libris editis hostem Catholicę fidei se esse declarauerit. Quod de methodo, quam ad facilem historiarum cognitionem Parisijs edidit, in annotationibus ad Irenæum
Fol. 115. martyrem Feu-ardentius & obseruauit, & adnotauit.

Obiectio II. est,

Romani nunquam cum rebellibus fœdere, aut pactione, rem composuerunt.

Responsio.

Credo. Sed si composuissent, religiosè id seruassent. Ideoque ne seruare cogerentur, componere noluerunt. Nunquam enim fidem suam apud quemquam periclitari voluerunt.

Obiectio III. est,

Quod nullum est, confirmari non potest.

Responsio.

Si conuentio fiat de re nulla, quod nullum est confirmari non potest: quemadmodum si rebelles nō velint nisi iusto hostis titulo transigere, cum eum non habeant, nullus erit ille cōtractus. Cæterùm qualis est vsu loquendi inter subditos & Principem hostilitas, tale est inter eos ius belli, neque alio titulo paciscuntur.

Obiectio IIII. est,

Quomodo per Deum iurabunt, cuius ordinationi ipsi resistunt?

Respon-

Responsio.

Sæpè Iudæi, vsurarij, concubinarij, iniusti belli auctores, alijque peccatores, qui omnes Dei ordinationibus resistunt, per Deum iurant.

Et de infidelibus scripsit beatus Augustinus ad Publicolam: *Mouet te vtrum eius fide vtendum sit, qui vt eam seruet per dæmonia iurauerit. Vbi te volo prius considerare vtrum si quispiam per falsos Deos iurauerit, se fidem seruaturum, & eam non seruauerit non tibi videatur bis peccasse? Si enim tali iuratione promissam custodierit fidem, ideò tantùm peccasse iudicaretur quia per tales deos iurauit. Illud autem nemo rectè reprehenderet, quia fidem seruauit. Nunc verò quia & iurauit per quos nō debuit, & contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit, bis vtique peccauit. Ac per hoc qui vtitur fide illius quem constat iurasse per deos falsos, & vtitur non ad malam rem, sed ad licitam & bonam, non peccato eius se sociat, quo per dæmonia iurauit, sed bono pacto eius, quo fidem seruauit.* Epist. 154.

Obiectio V. est,

Et cum fidem in Principem violent, frustra sibi fidem seruari postulant.

Responsio.

Quando Princeps cum rebellibus peculiarem init contractum, hi non frustra eius fidem sibi seruari postulant. Ea est enim natura & connexio huiusmodi pactorum & contractuum, vt non nisi mutuò consensu vterque, vel prioris violatione posterior ab obligatione sua soluatur.

tur. Quamquam igitur subditi in alijs actionibus Principi suo sint infideles, possunt tamen in peculiari contractu sibi & fideles, & vtrinque deuincti permanere. Quod clariùs est, quã vt exemplorum illustratione egeat.

Obiectio VI. est,

Neque consensu factũ videtur quod per vim exprimitur.

Responsio.

Sigismundo Imperatori verissimè dixit veteranus miles, *Poteras negare cùm peterem: nunc sine turpitudine quod promissum est, rescindere non poteris.* Deindè quàm multa per vim iure belli exprimuntur, quæ tamen mutuò consensu coaluisse negari non potest. Iuramentum enim quod de re difficili & dura, licita tamen, extorquetur, seruandum est.

Aeneas libro 3. de gestis Alphonsi.

Qua de caussa Deus acriter Sedeciam, vltimum è familia Dauidis Regem, increpauit & puniuit, quod contra iuratam fidem à Chaldæorum rege defecisset.

Ezech. 17.

Obiectio VII. est,

Nulla iusta caussa, vt inquit Cicero, videri potest aduersus patriam arma capiendi: & per consequens aduersus Principem: qui est communis omnium parens.

Philippica 12.

Responsio.

An igitur vt alia præteream exempla, Danis nostra memoria defuit caussa, qui Regem suũ Christiernum vsque ad mortem in carcere detinuerunt?

Sed versemur inter eos vbi iusta resistendi caussa deest. Cùm eis Principem nulla pacta,

fœdera, contractus, aut conuentiones, validè inire posse, absurdum est cogitare.

Obiectio VIII. est,

Populus cum extraneis pacisci non potest de rebus ad Rempublicam spectantibus: quod soli Principi concessum est. Multò minus Principem ad iniquas conditiones adigere poterit.

Responsio.

Sed Princeps sese ad iniquas & duras conditiones aliquando astringit. Deindè quamuis plebeij & priuati homines de rebus ad Rempublicam spectantibus pacisci nõ possint cum extraneis, solum tamen Principem id posse, cuius plerumque limitata est potestas, non est perpetuum. Magna enim semper fuit in Francia Ordinum potestas in officijs dispensandis, in tributis moderandis, & in administrandis tum pacis, tum belli, negotijs.

Obiectio IX. est,

Princeps, cuius est leges dare populo, nõ accipere, cùm legibus solutus sit, nullis legibus astringi potest à suis subditis.

Responsio.

Respondet Baptista Ficklerus adulatoriam vocem esse: Principem legibus non esse subiectum, cùm contra Theodosius Imperator dignã Principi vocem esse dixerit se legibus subditum esse profiteri. *De iure magistratuum, fol. 16*

Et Valentinianus ab Ambrosio audiuit, *Præscripsisti alijs, præscripsisti & tibi. Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* *Epist. 32.*

Quòd igitur dicitur Rex legibus non teneri id intelligi debet de legibus ciuilib[us], & de particulari

ticulari ac priuatorum iure: non de iure publico, & ad statum pertinente: multò minus de iure naturali & Diuino.

Assumunt nonnulli, summum Magistratum licet peccet, non habere alium iudicem quàm Deum. Ad id præcitatus Ficklerus respondet gentes populique ordines sibi ferè retinuisse ius frenandorum Regum: cui nulla temporis præscriptio obesse potest. Cæterùm non iudicandos ab ijs Reges pro priuatis delictis, quale erat homicidium & adulteriũ Dauidis, sed pro ijs quibus publicus status euertitur.

Nihilo minus Traianus cum Suræ tribuno militum ensem nudum porrigeret, etiam in se vti eo ipsum voluit, si perperam imperaret.

Obiectio X. est,

Nulla obligatio consistere potest, quæ à voluntate promittentis statum accipit. Quo spectat Pontificem nunquam sibi manus ligare.

Responsio.

Quando Princeps cùm subditis suis componit, ea obligatio statum accipit à mutua promittentium voluntate.

Huc etiam pertinent pacta inter subditos & Principem in inauguratione inita de priuilegijs conseruandis, de residendo, & alijs similibus obseruandis. Ad quæ aliquando adijcitur pœna amittendi Principatus. Quæ tamen omnia honesta, & rectæ rationi conformia esse debent, vt sicut Principi occasio superbę dominationis, plebisque per tyrãnidem opprimendæ per huiusmodi pacta adimitur, ita è diuerso plebi per eadem illa pacta non debet reseruari ni-

ri nimia libertas viuendi, aut edictis Principis recalcitrandi. Ita enim non ftaretur in iure Diuinó & naturali, quo præcipitur vt propter bonum pacis ac tranquillitatis inter homines feruandum humanæ focietates certis legibus ab aliquo fuperiore regantur. Cui regulæ fi quæ pacta repugnant, aut præiudicant, ea vt inhonefta, & legi naturæ contraria, reijcienda funt.

Eatenus autem dicitur Pontifex nunquam fibi manus ligare, quia quando leges condit, alia que ftatuit, poteft ex cauffa aut eafdem reuocare, aut cum nonnullis difpenfare. Sed fi alicui beneficium contulit, fi quippiam promifit, fi fœdus aut pactum cum alijs inijt, in his manus fibi ligauit, & pro libito fuo ea caffare, irritare, & reuocare non poteft.

Obiectio XI. eft,

Reges ficut nullam regni partem alienare poffunt (cuius tantum funt vfufructuarij) fic nec quicquam ex ijs quæ Maieftati cohærent. Itaque de facto alienata ad ius priftinum reuocari debent. Imò nec fponte fe abdicando, Imperium amittunt.

Refponfio.

Quæ coronæ cohærent, de facto alienata ad ius priftinum reuocari debent, nifi ea Rex cum confenfu Ordinum alienauerit. Cæterùm multa funt, de quibus aut cum hoftibus, aut cum rebellibus, pacifci poteft, quæ ipfi Ordines coronæ fiue Maieftati non cohærere fatentur.

Fal-

Falsum esse illud Ciceronis, Si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem id non feceris.

Caput VI.

Libro 3. de Officijs.

PRofertur quoque Ciceronis testimonium: *Si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem id non feceris. Nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium. Cum hoc nec fides esse debet, nec iusiurandum commune. Regulus verò non debuit conditiones pactionesqúe bellicas & hostiles perturbare periurio. Cum iusto enim & legitimo hoste res gerebatur, aduersus quem & totum ius feciale, & multa sunt iura communia.*

Hæc quidem Cicero scripsit, & exindè fortassis colligi potest iam olim Romanorum aut legibus aut moribus vetitas fuisse cum rebellibus conuentiones. Sed nos qui Christiani sumus, disputamus & tractamus quid Christianis legibus ac moribus receptum sit.

Quibus etiam propter nominis Dei honorem repugnat iuratum prædoni pro capite pretium non adferre. Est enim, vt Sanctus Thomas explicat, in iuramento coacto duplex obligatio. Vna, qua homini obligatur: quæ per coactionem tollitur, quia qui vim intulit, meretur

In 22. qu. 89. art. 7.

tur vt ei promiſſum non ſeruetur. Altera qua Deo obligatur, quæ non tollitur in foro conſcientiæ. Poteſt tamen repetere in iudicio quod ſoluit, vel Prælato denunciare.

An rebellibus, qui iuſti hoſtes nõ ſunt, redemptionis pretium promiſſum negari poſſit.

Caput VII.

DIcit autem Cicero prædonem non eſſe de numero perduellium, & communem omnium hoſtem. Cæterum noſtra tempora plena ſunt perduellibus prædonibus. Nam quotquot contra Catholicam fidem & Maieſtatem Philippi arma in Belgio ſumunt, quia potius rebelles, quàm hoſtes dicendi ſunt, vſitatè prædones dicuntur, tunc potiſſimum quando ad prædas excurrentes capiuntur, aut occiduntur, Teutonica dictione Vreibûters. Qua voce apud noſtrates etiam reliquæ nationes vtuntur: nonnulli eos Latinè latrúculos vocare volunt: alij volones & volũtarios milites. Quamquam propriè ij Vreibûters dicantur, qui tantùm ex prædis portionẽ aliquam recipere permittuntur: ſed nulla ſtipendia merent.

Quæſtio igitur ſit ſi quis metu forte compulſus huiuſmodi prædoni, qui iuſtus hoſtis non eſt, fidem de pretio redemptionis ſoluendo dederit, an aſtringatur, ſepoſito iuramento, vt fidem ſeruet. Hic clara & indubitata eſſe videtur reſolutio, ijs nihil deberi, quoniam etſi iuſti &

legitimi hostes essent, non tamē potest iustum bellum dici in quo ob hæresis defensionem arma capiuntur. Ideoque cōsensus qui per vim & coactionem eiusmodi extorquetur, etsi fiat cum intentione soluendi, iuris tamen scripti beneficio, vt aliàs meminimus, vim suam ac obligationem perdit.

Quæ sententia, si fortè aduersarios nostros sacrilegijs, oppressionibus, furtis & prædis ditatos, retrahat quo minus ad clementiam sui Principis redeant: id in eorum solatium adijcio, posse hic quædam à ciuili potestate in foro exteriori, & ab Ecclesiastica potestate in foro conscientiæ constitui, in quibus læsos ob Reipublicæ pacem habendam conquiescere oporteat.

An captiuus teneatur iurare secundum intentionem prædonis, qui ab eo iuramentum exigit.

Caput VIII.

Vicina quæstio est an captiuus prædonis teneatur de lytro suo iurare secundum intentionem petentis. Dico ad id eum non teneri, eo quod prædo per violentiam & iniuriam ab eo lytrum & iuramentum extorqueat: ideoque æquiuocè ei respondere potest, & aliud intendere quam intendat ille cui iuratur. Quomodo Azpilcueta, post alios, docet respondere posse iudici incompetenti, aut præter ordinem iuris interroganti. Sicuti enim licet in

Lib. 1. cap. 10.

sidi-

fidijs vti in bello, sic etiam licet ex iusta caussa veritatem occultare. Scriptũ est quidem à Psalmista: *Qui iurat proximo suo, & non decipit*: Sed longè aliud est decipere, aut intendere falsum, aut velle alium fallere: aliud verò ex iusta caussa occultare & celare veritatem, de qua interrogatur, etsi alius indè falletur. Quod verò ab Isidoro dictum est, *Quacunque arte verborum quisque iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit*: id exceptiones aliquot admittit: & beatus Thomas de dolosè iurante interpretatur, eo quòd Isidorus subijciat, *Dupliciter autem reus fit, qui & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit.* Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur, ait Thomas, secundum intentionem iurantis. Vndè Gregorius dicit libro vigesimo septimo moralium: Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant: diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.

Psal. 14.

Libr. 2. de summo bono, cap 31.

In 2.2. q. 89. art. 7.

Quod oporteat Catholicos clarè fidem suam profiteri, quando eis hæretici iuramentum contra fidem proponunt.

Cap. IX.

Ex superioribus ausi fuerũt, quidam In Hollandia Pastoribus, quos apud oues suas remanere volebant consulere, vt arte quadam iuramento proposito illuderent.

Indè illud est cuiusdam scriptum. *Similiter si quis hæreticus me cogat iurare in Ecclesiam reformatam, aut veram, intelligens suam esse veram & reformatam: nostram, falsam: licet mihi ad intellectum verum in mente seruatum, in Ecclesiam veram, intelligendo nostram, & reformatam, iurare, cùm ille me iniustè cogat.* Cùm enim nostri aduersarij non sint iudices competentes, nec procedant ordine iuris, denique cùm iniustè cogant ad iuramentum, licet nobis iurare intellectu vero in mente habito, nihil agendi contra Deum, aut Regem, quamuis illorum verba aliud sonent.

Sed qui hæc scripsit à veritatis tramite cespitauit, primùm quod non videantur cogi qui possunt abire: deindè, quod non considerauerit nomen Dei claram & apertam confessionem requirere. De quo non est hic dicendi locus.

Si qui autem quoduis iuramentum hæreticis iniurata mente præstare audeant, & illud allegare Euripidis,

Iuraui lingua, mentem iniuratam gero:

illi tam procul à Christiana & Ecclesiastica pietate recedunt, vt ipsum Christianum nomen exuisse videantur.

An differant pactum securitatis, & pactum perpetuæ securitatis.

Caput X.

VIdentur autem quidam nostri temporis scriptores

ptores asserere quod aliquando quidem cum hæreticis pacisci liceat de securitate, sed nunquam de perpetua securitate, quæ nunc petitur. Nec hi absurdè sententiam suam explicát. Sed tamen hanc subtilitatem simplicitas maiorum nostrorum ignorauit, quando cùm Longobardis Arrianis tempore Gregorij, & cum alijs hæreticis alijs temporibus, pacem inierunt. Et pacis pactum perpetuitatem includit. Alioqui enim induciæ forent, non pax. Deinde pacisci sine adiunctione temporis, est pactũ inire perpetuum: si quidem tale pactum dissolui nõ potest, quamdiu vtraque pars stat conuentis. Rursus, quantumcunque adiecta fuerit perpetuæ securitatis conditio, ea tamen dissoluitur, altera parte contra conuenta delinquente. Quod facile fit ex parte hæreticorum, quorum improbitas quiescere nõ potest. Vt taceam Pastorum vigilantia, & Principum diligenti cura, ita Catholicos Magistratus constitui posse in locis ab hæresi infectis, vt tandem vltro & communi consensu cupiant pacto renunciare, & ad Catholicæ Ecclesiæ gremium redire: quodque nihil in pactum, aut perpetuum, aut temporaneum validè deducatur, quod aduersatur aut legi naturæ, aut legi diuinæ.

Ad duas obiectiones respondetur.

Caput XI.

Sed contra, duo obijciuntur.

Obiectio I. est,

Tolerare hæresim res per se mala est, quando

cum pacto & iuramento ipsis securitas perpetua conceditur. Quod melius aduerteretur, si furibus & latronibus, ac patriæ hostibus hoc pacto libertas ab aliquo concedenda proponeretur.

Responsio.

Non adfertur simile. Cùm enim pacta Principis debeant tendere ad conseruationem Reipublicæ, manifestum est ei non licere pacisci super impunitate furum & latronum. Qua concessa nulla erit Respublica. Conuenientior igitur similitudo est de permissione vsurariorum & meretricum in lupanaribus. Ea enim concessio ac tolerantia adfert aliquam Reipublicę vtilitatem. Prætereà, latrones communiter sunt pauci numero, qui tolli possunt. Aliud verò esset si hostili & militari manu latrocinarentur sicut faciebant latrunculi Syriæ.

Obiectio II. est.

Proindè si Diuus Ambrosius rem hanc vel adiaphoram, vel quoquo pacto tolerabilem ęstimasset, non in ea deneganda tanta suo ac populi discrimine cum Imperatore verba commutasset: sed vbique honorem tribuens Imperatori, Christiana libertate & ingenuitate declarat se hac concessione fidem negaturum.

Responsio.

Non de concessione seu permissione nuda agebatur, sed de traditione eius quod iam Ecclesia possidebat: ad quod quærebatur Episcopi authoritas, cùm alioqui Valentinianus, hæreticus Imperator, vi auferre potuisset. *Conuenior*, ait Ambrosius, *à Comitibus & Tribunis, vt* Epist. 33.

basilica

basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure suo vti, eò quòd in potestate eius essent omnia Respondi, si à me peteret quod meum est, id est, fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meũ me nõ refragaturum, quamquã omnia quæ mea sunt, essent pauperum. Verùm ea quæ diuina, Imperatoriæ potestati non esse subiecta. Si patrimonium petitur, inuadite: si corpus occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi. Non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor. Et in sermone ad plebem intra Basilicã. *Aduertitis quid iubeatur cùm mandatur, Trade basilicam.* Hoc est, *Dic aliquod verbum in Deum, & morere. Nec solum dic aduersus Deum, sed etiam fac aduersus Deum.* *In eadem epist. 3.*

Cæterùm nolo mihi hîc obijci, dum perpetuum securitatis pactum permittitur, sectarios excitari ad eripienda nobis per vim omnia templa, quò transactione vnum atque alterum ipsis perpetuò concedatur. Ac proindè hinc quosdam non quod Reipublicæ profit hausuros, sed ansam apprehensuros omnem mouendi lapidem, vt quæ integra sunt turbent, concutiant, ac proterant, quò tandem eiusmodi concessione liceat vti Hęc sanè contra me dici non possunt, cùm enim Principes & Magistratus admoneam, vt prudenter capiant vulpeculas vineam Domini demolientes, hoc tantùm dico, vt cùm hæretici, eis fortiores, iniquè petunt perpetuam securitatem, dum aliud non expri-

munt, pro ijſdem habeantur perpetua ſecuritas & ſecuritas. Quòd ſi qui verò malitioſè dicant Principibus ſuis, ſe nec ſecuritate reſtricta, nec ſecuritate non reſtricta, contentos eſſe, ſed talem exigere perpetuam ſecuritatem, qua etiam vnico tantùm ſectario ſuperſtiti, aliquando ſua permittatur libertas, hic omninò reſpódendum erit: tam abſurdam & impiam poſtulationem à Catholico Principe nec annuendã, nec audiendam eſſe. Multa quidem occurrunt, quæ vtiliter tractarentur, ſed non omnia expedit in publicum ſcriptum redigere. Nota eſt enim Sapientis ſententia: *Qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.* Et ſicut myſteria religionis veneranda antiquitas cælanda eſſe docuit: ita etiam ſancta ſimplicitas exigit, ne ſic cõtra myſteria iniquitatis, ſiue occulta nequitiarum diſ[illegible]temus, vt eadem malitioſos homines doce[illegible]mus. Itaque quia in rebus Reipublicæ politi[illegible] magna habenda eſt circumſtantiarum ratio, hoc tantùm generatim addo, dum proponitur traditio, perpetua libertas, aut vllum aliud crimen, Princeps eam propoſitionem velut impiam & indignam quæ audiatur, reijciat. Si verò proponatur tolerãtia minoris mali, quam iudicet ob neceſſitatem Reipublicæ perferendam, & publico fœdere roborandam eſſe, hic prima eius cura ſit ne contra ſacram, aut Dei, aut vicarij eius Maieſtatem, quibus præiudicare non poteſt, impingat.

Prou. 30.

Inter Principem & subditos esse reciprocam & æqualem pacti obligationem.

Caput XII.

CAeterùm quando de pactis agitur & conuentionibus quæ inter subditos fiunt & Principem, incidi in recentia scripta, in quibus inculcatur illud: Fidem frangenti fides frangatur eidem, nec locum, nec reciprocum habere obligationem inter Principem & subditos, sed integrum manere vinculum iurisiurandi quod subditi præstiterunt, licet Princeps pactum non seruet. Quo etiam spectare videtur, quod Cunerus Episcopus scribit: nulla pacta vel contractus diuinę ordinationi, qua [illegible] ex potestatem suam habet, præiudicare posse, vt populus aliquando contra Regem suum ad [illegible]ma conuolare queat.

De officio P[illegible]is, cap. [illegible]

Verùm si populus legitimo ordine seruato, hoc est, cum recursu ad intermedios Magistratus nō potest repellere vim Principis, aut eum vi pactorum à principatu amouere, non video quomodo hæ conditiones & pacta verè pactorum rationem habeant: cùm pactorum & contractuum ea sit natura, vt altero recedente, alter ab obligatione soluatur, & ita sublato subiectionis iure tolletur etiam superioritas & ius principandi.

Est enim inter Regem & regnum mutua obligatio vt se mutuò contineant in officio. Ne-

que totam Reipublicę administrationem solus Princeps sustinet, sed supremum eius gradum. Singuli autem officiarij inferiores eius administrationis partem obtinent pro suo quisque gradu, idque certis vtrinque conditionibus. Quæ conditiones si ab inferiori Magistratu nó seruentur, erit Principis eos coercere, vel abdicare eo seruato ordine quem regni leges præscribunt. Contra, si Princeps manifestè ab ijs conditionibus deflectat, sub quibus nominatim Princeps est approbatus & receptus, quis dubitet inferiores Magistratus, ipsasq; Prouincias & ciuitates à suo iureiurando hactenus liberari vt ipsis liceat se manifestæ oppressioni opponere, ad conseruandam suam Rempublicam, cuius protectionem, pro suo quisque munere sub iureiurando suscepit. Imò teneri eos aduersus tyrannidem manifestam etiam armata, si possint, manu salutem Reipublicæ procurare, donec ex communi Statuum consilio melius Reipublicę consultũ sit. Sępè nihilominus cogitandũ est illud: Omnia prius experiri consilio quàm armis, sapientem decet. Hæc sunt quæ Fischlerus prosequitur in libro de iure Magistratus in subditos, & officio subditorum erga Magistratus: qui Ingolstadij excusus est, anno 1578. cum approbatione Gregorij de Valentia, & Gasparis Heiuodi, Theologorum & Professorum Academiæ Ingolstadiensis.

Inter exempla autem quæ recenset, quatuor sunt ex sacris literis deprompti. Primum Dauidis. qui ad necem quæsitus à Saule crudelissimo
1. Reg. 22. 23. 24. mo & perfidissimo tyranno, (cuius tyrannis ita modo

modò in Dauidis necem, sed etiam maximè post horrendam Sacerdotum cædem, in totius regni perniciem vergebat) cum priuatus amplius non esset, sed Dux exercituum Israel, & cui Deus,(quod Saulem non latebat) ius successionis promiserat, armis sese & militibus communiuit, prius tamen tentatus omnibus alijs medijs, & mœnia oppidi Seilæ Sauli opponere statuit. In qua re sanctissimum virum de seditione ac perduellione insimulare, ne suspicari quidem licet, cùm ille intra defensionis limites tanta se modestia continuerit, vt cum oram chlamydis eius in spelunca abscidisset, noluerit manum suam mittere in Christum Domini. Quare quod Abigail dixit, *Prælia Domini, Domine mi, tu præliaris*: quamuis referri possit ad prælia contra Philisthæos gesta, non improbabiliter tamen Ficklerus extendit ad Dauidis contra Saulem defensionem. 1. Reg. 25.

Habemus & secundum exemplum de oppido Lobna, quod domicilium erat Sacerdotum. Illud enim defecit ab Ioram sexto Dauidis successore. In diebus illis rebellauit Edom ne esset subditus Iudæ, & constituit sibi Regem. Eo tẽpore & Lobna recessit ne esset sub manũ illius. Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum, insuper & excelsa fabricatus est in vrbibus Iuda, & fornicari fecit habitatores Hierusalem & præuaricari Iudam. Quibus verbis videtur quibusdam non significari caussa quæ Lobnenses mouerit ad recedendũ, sed cur Deus mala hæc Regi Ioram immiserit. Cæterùm ꝓbabilius est quod Ficklerus obseruauit Edomæorum 2. Paral. 21.

mæorum rebellionem ad eam quidem cauſam referendam eſſe, cùm ſit veroſimile eos odio tantùm Iſraelitarum & cupiditate recuperandæ libertatis, non autem vt vero Deo adhærerent, cui nunquam ex animo ſeruierant, ab Ioram defeciſſe. At Sacerdotes, & reliqui incolæ Lobnenſes videntur non rebellando, ſed recedendo, pietatis ſuæ egregium ſpecimen edere voluiſſe, cum ſimul & Deo & tyranno parêre non valentes, huius iugū excuſſerunt, vt in Dei cultu & obſequio permanerent.

4.Reg.11. Tertium exemplū eſt populi Iſraelitici contra Athaliam reginam impijſſimam. Quæ con-
2.Par.23. ſilio Ioiadæ Pōtificis gladio eſt interfecta in domo Regis. Deſtruxit quoque omnis populus templum Baal, aras & ſimulacra eius validè cōfregit: Mathan quoque Sacerdotem Baal interfecit ante aras.

4.Reg.14 Quartum exemplum Hieroſolymitanorum
2.Par.25. illuſtre eſt contra Amaſiam. Quem ad necem ſunt inſectati communi quodam conſenſu, neque id occultè, & quaſi per inſidias, ſed vi aperta & velut publica authoritate: nec ſubitò aliquo tumultu, ſed poſtquam fuga ille ſeſe in vrbem Lachis recepiſſet. Nihil neque ante, neque poſt Amaſiæ mortem conſpicitur, quod ſeditionis ſuſpicionem habeat, ſed omnes circumſtantiæ euincunt conſilio, & meditata de liberatione Hieroſolymitanorum, tacito fœdere, tentata & parata fuiſſe, etſi id extra ordinem, & quaſi perfunctoriè acciderit: nullo certè priuato odio, ſed propter ipſius impietatem qua præcipuam ſui iuramenti partem violârat.

Ideo

Ideoque nusquam legimus post eius mortem vel querimoniam vllam, vel inquisitionem, vel denique pœnam aliquam aduersus cædis authores, (sicut post mortem Ammon & Ioab) procuratam vel irrogatam. At contra mortuũ eius cadauer equis in Hierusalem reuectum fuisse legimus, ob reuerentiam tum regiæ dignitatis, tum familiæ: & Azariam ipsius filium à populo Iuda vniuerso, Regem illi suffectum. Quod rursus planè ostendit id quod à potiore ordinum parte (nempe à Hierosolymitanis) factum fuerat, communi postea consensu confirmatum fuisse, vt iusta de caussa, & per eos executioni mandatum, quibus liceret. Hæc quatuor exempla, quia è sacris literis desumpta sunt, cum Ficklero proponere libuit. *2. Reg. 12. 14. & 21.*

In eodem libro idem Ficklerus respondet ad id quod obijcitur, populos tandem Regum potestati & arbitrio se subiecisse, & omnem suam libertatem & potestatem illis absque exceptione resignasse. Id enim non modò negat, sed contra asserit nullam gentem quamdiu ius & æquitas viguerunt, suos principes creasse aut approbasse nisi certis conditionibus. Quibus violatis, reseruarint sibi potestatem eos abdicandi, adeò vt & tempore Imperatorum id apud Romanos locum habuerit. Denique nullã gentem, scientem, & volentem, se subiecisse potestati alicuius non addita aut subintellecta hac conditione: vt ab eo iustè & ex æquo regeretur.

Iam antea nihilominus insinuauimus posse exoriri casum, in quo pactum oporteat legi *Hoc libro, cap. 5. ad obiectionẽ 10.*

Dei

Dei aut naturæ cedere. Quo concesso fortassis inter nos & illos, nulla est nisi verborum discrepantia: quamquam in loquendo communes phrases priuatis præponere & tutius sit, & vtilius.

Quod bona subditorum non sunt bona Regis: quodque ei eadem occupare volenti, resistere liceat.

Caput XIII.

ILlud mihi videtur etiã alicubi nimis inconsideratè inculcari, quod populus iure pati debeat, & non resistere, si Rex bona subditorum occupet. Cùm enim Rex sit minister iustitiæ, quantò maior est, tantò magis vnicuique ius suum tueri & conseruare debet: & sicut filio contra parentem, ita subdito contra Principem datur actio. Olim Ambrosius cùm a Valentiniano hæretico Imperatore mandaretur,
Epist. 33. o Trade basilicam: respondit, *Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Dei priuati nullo potes iure temerare: domum Dei existimas auferendam? Noli te extollere. Sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus.* Et in oratione contra Auxentium. *Cùm esset propositum vt Ecclesiæ*
Ante epistolam 33. *vasa iam traderemus, hoc responsi reddidi: Me si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter*

ter offerre: templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud quod custodiendum, non tradendum, accepe rim. Ac infrà. *Meministis quod lectum est hodie, Nabuthe sanctum virum possessorem vineæ suæ, interpellatum petitione regia vt vineam suam daret, vbi Rex succisis vitibus olus vile sereret, eumque respondisse, absit vt ego patrum meorum tradam hæreditatem. Regem contristatum esse, quod sibi esset alienum ius relatione iusta negatum, sed muliebri consilio deceptum. Nabuthe vites suas vel proprio cruore defendit. Si ille vineam non tradidit suam, ego tradam Christi hæreditatem?* 3. Reg. 21.

Ad obiectiones respondetur.

Caput XIIII.

AD contrariam tamen sententiam statuendam quædam proferuntur.

Obiectio I. est,

Prædic eis ius Regis qui regnaturus est super eos. 1. Reg. 8.
Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se Regẽ, & ait, *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis.*

suis. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus, addecimabit, vt det eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit.

Responsio.

Adde quod sequitur. *Vosque eritis ei serui.* Quod studiosè in objiciendo omissum videtur, eò quod à potestate Regis alienum sit, ac propriè ad tyrãnidem spectet, subditis pro seruis vti.

Iùs itaque regis á Samuele descriptum certum est, non esse ius regibus debitum, sed dictum est ius, quia pro iure à multis malè vsurpatur. Cùm enim Iudæi talem Regem peterét, qualem cæteræ gentes haberent, Samuel inter eius iura quædam interseruit quæ ad tyrannidem, in quam talis potestas, dum Deum nõ metuit, facilè degenerat, non autem ad regiam potestatem pertinent.

Inter quæ tyrannica iura & illud est, *Agros vestros & vineas tollet & dabit seruis suis.* Itaque ius illud Regis, à Samuele populo propositum, tale erat, quod ne Achab quidem Rex impius ausus fuit vsurpare, nisi, consilio vxoris, interfecto prius legitimo possessore.

Obiectio II. est,

Hæc incommoda populus iure pati debet, & non resistere, quoniam Rex Dominus eius est.

Responsio.

Genes. 42. Scriptum est in Genesi de Ioseph, *Locutus*

est

est nobis dominus terræ, quia cum Pharao præfecerat terræ Aegypti: nō quod priuata iura subditorum aut eius, aut regis, essent iura.

Obiectio III. est, ex Augustino;

Iure humano dicitur, Hæc villa mea est: hæc domus meā est, hic seruus meus est. Quare? quia ipsa iura humana per Imperatores & Reges sęculi Deus distribuit humano generi. Tolle iura Imperatorum: Et quis audet dicere, mea est illa villa? *Tract. 6. in Euang. Ioannis.*

Responsio.

Quæ eò loci huc pertinentia prolixè scribit Augustinus, ea non illuc spectant quasi Rex sit dominus terræ & subditorum suorum, vt omnia ipsorum bona vsurpare possit, tanquam sibi debita, & quòd subditi ea possideāt Regum & Imperatorum beneficio, tanquam ab illis sibi distributa. Quæ sententia valdè absurda est. Sequeretur enim regem posse sibi salua iustitia vendicare, quæcunque bona subditorum: neq; contra iustitiam commutatiuā peccasse Achab quando Naboth vineam abstulit. *3. Reg. 21.*

Sed duo sunt, quæ à beato Augustino inculcātur. Vnum, ex beneficio legum, & eorum qui executioni legum pręsunt, prouenire, quod bona nostra tutò possideamus: & quod liberi simus, ab iniurijs inuasorum. Principū enim est per leges, & gladium plebem subiectam ab iniurijs defendere.

Alterum quoque inculcat, quod Imperatores, quorum est sceleratos punire, contra hæreticos, qui in pace pacis authorem colere nolūt, leges tulerunt, quibus vetuerunt ab hæreticis

aliquid possideri. Hoc respôdet dicentibus Villas nostras tulerût, fundós nostros tulerût. Hoc respondet proferentibus testamenta hominû. Quod quia iustè decretum est, iure eos perperi côuenit. Quamquã neq; nos, neq; clementissimus Rex noster, hæreticorû punitionibus delectetur. Sed & sua Maiestas, & nos idê sentimus,
Augustin. ibidem. quod olim dixit Augustinus, *Veniant ad Catholicam fidê, & nobiscum habeant non solùm terrã, sed etiam illum qui fecit cœlum & terram.* Imò clementia Catholici Regis tantùm sese rebellium hæreticorum in Belgio infirmitati attemperat, vt nolentibus Catholicè viuere discessum cum omnibus bonis suis annuat.

Obiectio IIII. est,

2. Reg. 1. Ex lugubri carmine Dauid, Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.

Responsio.

Saul vestisse dicitur filias Israel coccino in delicijs, quia eam præstabat Reipublicæ suæ tranquillitatem, defendendo eam ab hostium incursu vt populus etiam ad luxum vsque rebus ad victum & vestitum necessarijs abundaret.

Obiectio V. est,

Matt. 22. Dominus ipse hac consideratione dicebat: Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, nihil in pondere vel mensura distinguens: significans hac ratione Cæsaris esse bona regni, quæ petenti & exigenti negari non debent. Quamobrem Paulus cùm ethnici & auarissimi tyranni Romæ præsi-

præsiderent, sine tamen discrimine vel distinctione fidelibus præcepit: Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. *Rom. 13.*

Responsio.

Non hoc significatur, sed deberi Cæsari tributa ob Imperij defensionem. Et licet nec Christus nec Paulus de pondere & mensura distinguat, ratio tamen, & lex positiua, & conuentio cum Principibus inita, distinguit. Quamquam & Christus distinxisse videatur, quãdo numisma census, quod habebat Cæsaris imaginem, & inscriptionem, dari præcepit: non indifferenter, quicquid preciperetur. Et cùm ratio manifestè doceat non omnia bona subditorum in tributum & vectigal conuertenda esse, satis consequens est etiam Paulum distinguere, cùm tantùm tributi & vectigalis meminit.



DE IVRAMENTO, QVOD A TYRANNO EXIGITVR, LIBER V.

Olim omnes Reges dictos esse tyrannos.

Caput I.



OLIM nihil inter Regẽ & Tyrãnum intererat: τυραννέω enim Græcè, Latinè est impero. Vndè tyrannis, quod Græcum nomen est, principatum tantummodo significat. Ideoque antiqui & noui Grammatici annotarunt à veteribus omnes Reges Principesque, etiam iustissimos, dictos esse tyrannos. Quò pertinet illud Platonis, *Qui vnus rectè administrat ciuitatem, vocatur* τύραννος, *καὶ* βασιλεύς, Tyrãnus & Rex. Et de pio Aenea scribit Virgilius:

Aeneid. 7. *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.*

Quia verò Græci semper cupiuerunt esse liberi & sine regibus, idcirco tyranni nomen apud eos, & hinc apud omnes, inter detestanda est habitum.

Sic olim latro & hostis honestam habuerunt significationem. Solent enim latrones, quasi laterones, dici stipatores & satellites, quoniam, inquit Varro, circa latera esse soleant. Verùm nunc

nunc alia est, eaque notissima, latronum significatio. De hoste autem à Tullio scriptum est, *Hostis apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Quamquam id nomen durius iam effecit vetustas. A peregrino enim iam recessit, et propriè in eo qui arma contra ferret, remansit.* *Libro 1. de officijs.*

Quando legitimus Magistratus censeatur tyrannicè imperare.

Caput II.

CAeterùm, cùm tyranni nomen paulatim in odiū adduceretur, tyranni vocati sunt qui suis commodis imperarēt, non publicis. Quo referri potest quod à Scipione disputatum est, non vitiosam, sed nullam esse rem publicam, cùm aut iniustus est Rex, quem tyrannum more Græco appellauit: aut iniusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem: aut iniustus ipse populus, cui nomen vsitatum non reperit, nisi vt etiam ipsum tyrannum vocaret. Cùm enim Rempublicam breui definitione descripsisset esse rem populi, facilè intelligitur eum potiùs inani, quam vero titulo possidere nomen regis, qui ex regno non populi, sed suum quærit commodum: eò quòd Rex sit propter regnum: non autem regnum propter Regem: quomodo tutor pupillo, non pupillus tutori: & pastor ob gregem, non grex propter pastorem constituuntur. *Aug libr. 2. de Ciuit. Dei, ca. 21*

Illud porrò notandum est, quia hi Reges ve-

munt, pro ijſdem habeantur perpetua ſecuritas & ſecuritas. Quòd ſi qui verò malitiosè dicant Principibus ſuis, ſe nec ſecuritate reſtricta, nec ſecuritate non reſtricta, contentos eſſe, ſed talem exigere perpetuam ſecuritatem, quæ etiam vnico tantùm ſectario ſuperſtiti, aliquando ſua permittatur libertas, hic omninò reſpódendum erit: tam abſurdam & impiam poſtulationem à Catholico Principe nec annuendã, nec audiendam eſſe. Multa quidem occurrunt, quæ vtiliter tractarentur, ſed non omnia expedit in publicum ſcriptum redigere. Nota eſt e-
Prou. 30. nim Sapientis ſententia: *Qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.* Et ſicut myſteria religionis veneranda antiquitas cælanda eſſe docuit: ita etiam ſancta ſimplicitas exigit, ne ſic cõtra myſteria iniquitatis, ſiue occulta nequitiarum diſſeramus, vt eadem malitioſos homines doceamus. Itaque quia in rebus Reipublicæ politicis magna habenda eſt circumſtantiarum ratio, hoc tantùm generatim addo, dum proponitur traditio, perpetua libertas, aut vllum aliud crimen, Princeps eam propoſitionem velut impiam & indignam quæ audiatur, reijciat. Si verò proponatur tolerãtia minoris mali, quam iudicet ob neceſſitatem Reipublicæ perferendam, & publico fœdere roborandam eſſe, hic prima eius cura ſit ne contra ſacram, aut Dei, aut vicarij eius Maieſtatem, quibus præiudicare non poteſt, impingat.

Inter

Inter Principem & subditos esse reciprocam & æqualem pacti obligationem.

Caput XII.

CAeterùm quando de pactis agitur & conuentionibus quæ inter subditos fiunt & Principem, incidi in recentia scripta, in quibus inculcatur illud: Fidem frangenti fides frangatur eidem, nec locum, nec reciprocum habere obligationem inter Principem & subditos, sed integrum manere vinculum iurisiurandi quod subditi præstiterunt, licet Princeps pactum non seruet. Quo etiam spectare videtur, quod Cunerus Episcopus scribit: nulla pacta vel contractus diuinę ordinationi, qua [illegible] ex potestatem suam habet, præiudicare posse, [illegible] vt populus aliquando contra Regem suum ad [illegible] ma conuolare queat. *De officio P[illegible] [illegible]. cap. [illegible]*

Verùm si populus legitimo ordine seruato, hoc est, cum recursu ad intermedios Magistratus nō potest repellere vim Principis, aut eum vi pactorum à principatu amouere, non video quomodo hæ conditiones & pacta verè pactorum rationem habeant: cùm pactorum & contractuum ea sit natura, vt altero recedente, alter ab obligatione soluatur, & ita sublato subiectionis iure tolletur etiam superioritas & ius principandi.

Est enim inter Regem & regnum mutua obligatio vt se mutuò contineant in officio. Ne-

que totam Reipublicę administrationem solus Princeps sustinet, sed supremum eius gradum. Singuli autem officiarij inferiores eius administrationis partem obtinent pro suo quisque gradu, idque certis vtrinque conditionibus. Quæ conditiones si ab inferiori Magistratu nó seruentur, erit Principis eos coercere, vel abdicare eo seruato ordine quem regni leges præscribunt. Contra, si Princeps manifestè ab ijs conditionibus deflectat, sub quibus nominatim Princeps est approbatus & receptus, quis dubitet inferiores Magistratus, ipsasq; Prouincias & ciuitates à suo iureiurando hactenus liberari vt ipsis liceat se manifestæ oppressioni opponere, ad conseruandam suam Rempublicam, cuius protectionem, pro suo quisque munere sub iureiurando suscepit. Imò teneri eos aduersus tyrannidem manifestam etiam armata, si possint, manu salutem Reipublicæ procurare, donec ex communi Statuum consilio melius Reipublicę consultū sit. Sępè nihilominùs cogitandū est illud: Omnia prius experiri cōsilio quàm armis, sapientem decet. Hæc sunt quæ Fischlerus prosequitur in libro de iure Magistratus in subditos, & officio subditorum erga Magistratus: qui Ingolstadij excusus est, anno 1578 cum approbatione Gregorij de Valentia, & Gasparis Heiuodi, Theologorum & Professorum Academiæ Ingolstadiensis.

Inter exempla autem quæ recenset, quatuor sunt ex sacris literis deprompti. Primum Da-
1. Reg. 22. uidis, qui ad necem quæsitus a Saule crudelissi-
23. 24. mo & perfidissimo tyranno, (cuius tyrannidē nō
modo

modò in Dauidis necem, sed etiam maximè post horrendam Sacerdotum cædem, in totius regni perniciem vergebat) cum priuatus amplius non esset, sed Dux exercituum Israel, & cui Deus, (quod Saulem non latebat) ius successionis promiserat, armis sese & militibus communiuit, prius tamen tentatus omnibus alijs medijs, & mœnia oppidi Seilæ Sauli opponere statuit. In qua re sanctissimum virum de seditione ac perduellione insimulare, ne suspicari quidem licet, cùm ille intra defensionis limites tanta se modestia continuerit, vt cum oram chlamydis eius in spelunca abscidisset, noluerit manum suam mittere in Christum Domini. Quare quod Abigail dixit, *Prælia Domini, Domine mi, tu prœliaris*: quamuis referri possit ad prælia contra Philisthæos gesta, non improbabiliter tamen Ficklerus extendit ad Dauidis contra Saulem defensionem. 1. Reg. 25.

Habemus & secundum exemplum de oppido Lobna, quod domicilium erat Sacerdotum. Illud enim defecit ab Ioram sexto Dauidis successore. In diebus illis rebellauit Edom ne esset subditus Iudæ, & constituit sibi Regem. Eo tẽpore & Lobna recessit ne esset sub manũ illius. Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum, insuper & excelsa fabricatus est in vrbibus Iuda, & fornicari fecit habitatores Hierusalem & præuaricari Iudam. Quibus verbis videtur quibusdam non significari caussa quæ Lobnenses mouerit ad recedendũ, sed cur Deus mala hæc Regi Ioram immiserit. Cæterùm probabilius est quod Ficklerus obseruauit Edo- 2. Paral. 21.

mæorum

mæorum rebellionem ad eam quidem causam referendam esse, cùm sit verosimile eos odio tantùm Israelitarum & cupiditate recuperandæ libertatis, non autem vt vero Deo adhærerent, cui nunquam ex animo seruierant, ab Ioram defecisse. At Sacerdotes, & reliqui incolæ Lobnenses videntur non rebellando, sed recedendo, pietatis suæ egregium specimen edere voluisse, cum simul & Deo & tyranno parêre non valentes, huius iugũ excusserunt, vt in Dei cultu & obsequio permanerent.

4. Reg. 11. 2. Par. 23. Tertium exemplũ ẽst populi Israelitici contra Athaliam reginam impijssimam. Quæ consilio Ioiadæ Põtificis gladio est interfecta in domo Regis. Destruxit quoque omnis populus templum Baal, aras & simulacra eius validè cõfregit: Mathan quoque Sacerdotem Baal interfecit ante aras.

4. Reg 14 2. Par. 25. Quartum exemplum Hierosolymitanorum illustre est contra Amasiam. Quem ad necem sunt insectati communi quodam consensu, neque id occultè, & quasi per insidias, sed & aperta & velut publica authoritate: nec subito aliquo tumultu, sed postquam fuga ille sese in vrbem Lachis recepisset. Nihil neque ante, neque post Amasiæ mortem conspicitur, quod seditionis suspicionem habeat, sed omnes circumstantiæ euincunt consilio, & meditata deliberatione Hierosolymitanorum, tacito fœdere, tentata & parati fuisse, etsi id extra ordinem, & quasi perfunctoriè acciderit, nullo certè priuato odio, sed propter ipsius impietatẽ, qua præcipuam sui iuramenti partem violatam

Ideo-

Ideoque nusquam legimus post eius mortem vel querimoniam vllam, vel inquisitionem, vel denique pœnam aliquam aduersus cædis authores, (sicut post mortem Ammon & Ioab) procuratam vel irrogatam. At contra mortuũ eius cadauer equis in Hierusalem reuectum fuisse legimus, ob reuerentiam tum regiæ dignitatis, tum familiæ: & Azariam ipsius filium à populo Iuda vniuerso, Regem illi suffectum. Quod rursus planè ostendit id quod à potiore ordinum parte (nempe à Hierosolymitanis) factum fuerat, communi postea consensu confirmatum fuisse, vt iusta de caussa, & per eos executioni mandatum, quibus liceret. Hæc quatuor exempla, quia è sacris literis desumpta sunt, cum Ficklero proponere libuit.

2. Reg. 12. 14. & 21.

In eodem libro idem Ficklerus respondet ad id quod obijcitur, populos tandem Regum potestati & arbitrio se subiecisse, & omnem suam libertatem & potestatem illis absque exceptione resignasse. Id enim non modò negat, sed contra asserit nullam gentem quamdiu ius & æquitas viguerunt, suos Principes creasse aut approbasse nisi certis conditionibus. Quibus violatis, reseruarint sibi potestatem eos abdicandi, adeò vt & tempore Imperatorum id apud Romanos locum habuerit. Denique nullã gentem, scientem, & volentem, se subiecisse potestati alicuius non addita aut subintellecta hac conditione: vt ab eo iustè & ex æquo regeretur.

Iam antea nihilominus insinuauimus posse exoriri casum, in quo pactum oporteat legi Dei

Hoc libro, cap. 5. ad obiectionẽ 19.

Dei aut naturæ cedere. Quo concesso fortassis inter nos & illos, nulla est nisi verborum discrepantia: quamquam in loquendo communes phrases priuatis præponere & tutius sit, & vtilius.

Quod bona subditorum non sunt bona Regis: quodque ei eadem occupare volenti, resistere liceat.

Caput XIII.

ILlud mihi videtur etiã alicubi nimis inconsideratè inculcari, quòd populus iure pati debeat, & non resistere, si Rex bona subditorum occupet. Cùm enim Rex sit minister iustitiæ, quantò maior est, tantò magis vnicuique ius suum tueri & conseruare debet: & sicut filio contra parentem, ita subdito contra Principem datur actio. Olim Ambrosius cùm à Valentiniano hæretico Imperatore mandaretur,

Epist. 33. o Trade basilicam: respondit, *Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, imperator, expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare: domum Dei existimas auferendam? Noli te extollere. Sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus.* Et in oratione con-

Ante epistolam 33 tra Auxentium. *Cùm esset propositum vt ecclesiæ vasa iam traderemus, hoc responsum reddidi: Si à me is aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris es-*

ter

ter offerre: templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud quod custodiendum, non tradendum, acceperim. Ac infrà. *Meministis quod lectum est hodie, Nabuthe sanctum virum possessorem vineæ suæ, interpellatum petitione regia vt vineam suam daret, vbi Rex succisis vitibus olus vile sereret, eumque respondisse, absit vt ego patrum meorum tradam hæreditatem. Regem contristatum esse, quod sibi esset alienum ius relatione iusta negatum, sed muliebri consilio deceptum. Nabuthe vites suas vel proprio cruore defendit. Si ille vineam non tradidit suam, ego tradam Christi hæreditatem?* 3. Reg. 21.

Ad obiectiones respondetur.

Caput XIIII.

AD contrariam tamen sententiam statuendam quædam proferuntur.

Obiectio I. est,

Prædic eis ius Regis qui regnaturus est super eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se Regẽ, & ait, *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit servis suis.* 1. Reg. 8.

suis. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus, addecimabit, vt det eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit.

Responsio.

Adde quod sequitur. *Vosque eritis ei serui.* Quod studiosè in obijciendo omissum videtur, eò quod à potestate Regis alienum sit, ac propriè ad tyrãnidem spectet, subditis pro seruis vti.

Ius itaque regis á Samuele descriptum certum est, non esse ius regibus debitum, sed dictum est ius, quia pro iure à multis malè vsurpatur. Cùm enim Iudæi talem Regem peterẽt, qualem cæteræ gentes haberent, Samuel inter eius iura quædam interseruit quæ ad tyrannidem, in quam talis potestas, dum Deum nõ metuit, facilè degenerat, non autem ad regiam potestatem pertinent.

Inter quæ tyrannica iura & illud est, *Agros vestros & vineas tollet & dabit seruis suis.* Itaque ius illud Regis, à Samuele populo propositum, tale erat, quod ne Achab quidem Rex impius ausus fuit vsurpare, nisi, consilio vxoris, interfecto prius legitimo possessore.

Obiectio II. est,

Hæc incommoda populus iure pati debet, & non resistere, quoniam Rex Dominus terræ est.

Responsio.

Genes. 42. Scriptum est in Genesi de Ioseph, *Locutus est*

est nobis dominus terræ, quia cum Pharao præfecerat terræ Aegypti: nō quod priuata iura subditorum aut eius, aut regis, essent iura.

Obiectio III. est, ex Augustino;

Iure humano dicitur, Hæc villa mea est: hæc domus mea est, hic seruus meus est. Quare? quia ipsa iura humana per Imperatores & Reges seculi Deus distribuit humano generi. Tolle iura Imperatorum: Et quis audet dicere, mea est illa villa? *Tract. 6. in Euang. Ioannis.*

Responsio.

Quæ eò loci huc pertinentia prolixè scribit Augustinus, ea non illuc spectant quasi Rex sit dominus terræ & subditorum suorum, vt omnia ipsorum bona vsurpare possit, tanquam sibi debita, & quòd subditi ea possideāt Regum & Imperatorum beneficio, tanquam ab illis sibi distributa. Quæ sententia valdè absurda est. Sequeretur enim regem posse sibi salua iustitia vendicare, quæcunque bona subditorum: neq; contra iustitiam commutatiuā peccasse Achab quando Naboth vineam abstulit. *3. Reg. 21.*

Sed duo sunt, quæ à beato Augustino inculcātur. Vnum, ex beneficio legum, & eorum qui executioni legum præsunt, prouenire, quod bona nostra tutò possideamus: & quod liberi simus, ab iniurijs inuasorum. Principū enim est per leges, & gladium plebem subiectam ab iniurijs defendere.

Alterum quoque inculcat, quod Imperatores, quorum est sceleratos punire, contra hæreticos, qui in pace pacis authorem colere nolūt, leges tulerunt, quibus vetuerunt ab hæreticis

aliquid possideri. Hęc respōdet dicentibus Villas nostras tulerūt, fundós nostros tulerūt. Hoc respondet proferentibus testamenta hominū. Quod quia iustè decretum est, iure eos perpeti cōuenit. Quamquā neq; nos, neq; clementissimus Rex noster, hæreticorū punitionibus delectetur. Sed & sua Maiestas, & nos idē sentimus,

Augustin. ibidem. quod olim dixit Augustinus, *Veniant ad Catholicam fidē, & nobiscum habeant non solùm terrā, sed etiam illum qui fecit cœlum & terram.* Imò clementia Catholici Regis tantùm sese rebellium hæreticorum in Belgio infirmitati attemperat, vt nolentibus Catholicè viuere discessum cum omnibus bonis suis annuat.

Obiectio IIII. est,

2. Reg. 1. Ex lugubri carmine Dauid, Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.

Responsio.

Saul vestisse dicitur filias Israel coccino in delicijs, quia eam præstabat Reipublicæ suæ tranquillitatem, defendendo eam ab hostium incursu vt populus etiam ad luxum vsque rebus ad victum & vestitum necessarijs abundaret.

Obiectio V. est,

Dominus ipse hac consideratione dicebat:

Matt. 22. Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, nihil in pondere vel mensura distinguens: significans hac ratione Cæsaris esse bona regni, quæ petenti & exigenti negari non debent. Quamobrem Paulus cùm ethnici & auarissimi tyranni Romæ

præsi-

præſiderent, ſine tamen diſcrimine vel diſtinctione fidelibus præcepit: Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Rom. 13.

Reſponſio.

Non hoc ſignificatur, ſed deberi Cæſari tributa ob Imperij defenſionem. Et licet nec Chriſtus nec Paulus de pondere & menſura diſtinguat, ratio tamen, & lex poſitiua, & conuentio cum Principibus inita, diſtinguit. Quamquam & Chriſtus diſtinxiſſe videatur, quādo numiſma cenſus, quod habebat Cæſaris imaginem, & inſcriptionem, dari præcepit: non indifferenter, quicquid præciperetur. Et cùm ratio manifeſtè doceat non omnia bona ſubditorum in tributum & vectigal conuertenda eſſe, ſatis conſequens eſt etiam Paulum diſtinguere, cùm tantùm tributi & vectigalis meminit.



DE IVRAMENTO, QVOD A TYRANNO EXIGITVR, LIBER V.

Olim omnes Reges dictos esse tyrannos.

Caput I.



OLIM nihil inter Regẽ & Tyrãnum intererat: τυραννεῖν enim Græcè, Latinè est impero. Vndè tyrannis, quod Græcum nomen est, principatum tantummodo significat. Ideoque antiqui & noui Grammatici annotarunt à veteribus omnes Reges Principesque, etiam iustissimos, dictos esse tyrannos. Quò pertinet illud Platõnis, *Qui vnus rectè administrat ciuitatem, vocatur* τύραννος, καὶ βασιλεύς, Tyrãnus & Rex. Et de pio Aenea scribit Virgilius:

Aeneid. 7. *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.*

Quia verò Græci semper cupiuerunt esse liberi & sine regibus, idcirco tyranni nomen apud eos, & hinc apud omnes, inter detestanda est habitum.

Sic olim latro & hostis honestam habuerunt significationem. Solent enim latrones, quasi laterones, dici stipatores & satellites, quoniam, inquit Varro, circa latera esse soleant. Verùm nunc

nunc alia est, eaque notissima, latronum significatio. De hoste autem à Tullio scriptum est, *Hostis apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Quamquam id nomen durius iam effecit vetustas. A peregrino enim iam recessit, et propriè in eo qui arma contra ferret, remansit.* *Libro 1. de officijs.*

Quando legitimus Magistratus censeatur tyrannicè imperare.

Caput II.

CAeterùm, cùm tyranni nomen paulatim in odiũ adduceretur, tyranni vocati sunt qui suis commodis imperarẽt, non publicis. Quo referri potest quod à Scipione disputatum est, non vitiosam, sed nullam esse rem publicam, cùm aut iniustus est Rex, quem tyrannum more Græco appellauit: aut iniusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem: aut iniũstus ipse populus, cui nomen vsitatum non reperit, nisi vt etiam ipsum tyrannum vocaret. Cùm enim Rempublicam breui definitione descripsisset esse rem populi, facilè intelligitur eum potiùs inani, quam vero titulo possidere nomen regis, qui ex regno non populi, sed suum quærit commodum: eò quòd Rex sit propter regnum: non autem regnum propter Regem: quomodo tutor pupillo, non pupillus tutori: & pastor ob gregem, non grex propter pastorem constituuntur. *Aug libr. 2. de Ciuit. Dei, ca. 21*

Illud porrò notandum est, quia hi Reges ve-

ro titulo reges sunt, quomodo malæ vitæ Christiani verè sunt Christiani: ideo ex vsu posteriorum sæculorũ eos non vocari tyrannos, nisi per violentiam & crudelitatẽ Rempublicam suam euertant. Quod vel ex manifestissimis operibus, vt nullo opus sit iudicio, vel ex legitimo iudicio, constare debet.

Fol. 48. Hinc prudenter Ficklerus admonuit, Principem, si populum immodicis exactionibus opprimat, non semper esse tyrannum, nisi obfirmata malignitas accedat, qua ad statum publicum euertendum nitatur.

Huiuscemodi tyranni fuerunt, in veteri populo Saul: & inter Paganos Imperatores Nero, qui patriæ incendio delectatus fuit: Caligula, qui optabat vt populus Romanus vnam ceruicem haberet: inter Christianos Reges nostra memoria Christiernus: alijque nonnulli, aut naturales, aut electitij Principes. Imò potest tyrannus eo impietatis prouolui, vt nominatim aduersus eum publicæ preces & execrationes concipiantur. Quod Publiæ monasterium aduersus Iulianum Apostatam fecit.

Theodor. lib 3. Hist. Eccl. c. 17.

Tyrannos esse quotquot aliena dominia vsurpant.

Caput III.

QVia verò Tyrannus & Princeps ex phrasi & locutione recepta opponũtur, & quia in vsurpatore alieni nullus est veri domini titulus, hinc tyrannus est quicunq; alienum principatum occupat, siue is per armorum violentiam,

lentiam & terrorem, siue per vulpinam irreptionem, siue per factiosam vocationem, siue quocunque alio titulo illegitimo intret.

Tyrannus proinde fuit Alexander Macedo, qui nullo bono iure, sed tantùm regnandi libidine ductus, reliquas orbis prouincias sibi subegit. *Remota enim iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Libera namque contumelia, sed eleganter & veraciter, Alexandro illi magno, cōprehēsus pirata, rogatus cur mare haberet infestū, respondit: *Quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu magna classe, Imperator.* Aug. libr. 4. de ciu. Dei, ca. 4.

Tyrannus quoque fuit, non veri nominis Imperator, Iulius Cæsar, dominium sibi vsurpatus, nisi postmodum fortassis subditorum libero consensu in Imperatorem sit assumptus. Quod de successoribus non est ambiguum. Quamuis enim nōnulli annotarint, Christum iussisse vt tributum penderetur Tiberio Cæsari, iniusto Iudææ vsurpatori, rectiùs tamen docti quidam obseruarunt, Romanos, etsi initio regnum Iudæorum inuaserint, posteà tamen legitimos dominos euasisse, partim iusto Dei iudicio, partim consensu & approbatione maioris partis, aut eorum qui corpus patriæ repręsentabant. Quod satis significarunt, dicentes: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Matth. 22. Ioan. 19.

Tyrannos aliquando vocari priuatos homines potestati resistentes.
Caput IIII.

Illud etiam in veterum scriptis obseruare li-

cet, non tantùm veros Principes cum austeritate & oppressione imperantes, & alios his sceleratiores, qui neque in re, neque ad rem ius habent, verùm legitimo Principe eiecto tyrannidem occupant, tyrannos vocari: sed præterea priuatos homines cum Principi suo per vim resistunt. Quo illud pertinet quod paulò antè diximus Scipionem populum iniustum, cum nomen vsitatum non reperiret, tyrannum vocasse. Et cùm diuus Ambrosius, Valentiniano Imperatori Ariano, basilicæ vnius traditionem flagitanti, Christiana libertate multa respondisset, à Notario quodam, noua mandata deferente audiuit. *Si tyrannus es scire volo, vt sciam quemadmodum me aduersus te præparem.* Cui Ambrosius respondit. *Tradere basilicam nō possum. Si hac tyrannis videtur, habeo arma, sed in Christi nomine, habeo offerendi mei corporis potestatem. Quid moraretur ferire si tyrannum putaret? Tyrannis sacerdotis, infirmitas est. Cùm infirmor*, inquit, *tunc potens sum.* Negat deindè se tyrannum Valentiniani esse, quia nunquam sacerdotes tyranni fuerunt, sed tyrannos sæpè passi sunt. Quod etiam Ambrosius vehementer optauit, Concludit enim epistolam ad sororem suam, in qua hæc leguntur. *Calligonus præpositus cubiculi mandare mihi ausus est: Me viuo contemnis tu Valentinianum? Caput tibi tollo, Respondi. Deus permittat tibi, vt impleas quod minaris, Ego enim patiar quod Episcopi, tu facies quod spadones. At vtinam Dominus auertat eos ab Ecclesia, & in me omnia sua tela conuertant, meo sanguine sitim suam expleant.*

Epist. 33.

2. Cor. 12.

Triplicis generis esse occupatores tyrannos.

Caput V.

POrrò cùm varia sit tyranni significatio, in præsenti libro agam deinceps de occupatore tyranno. De eo enim, vrgentibus nos Belgij nostri miserijs, quæstiones quædam tractandæ occurrunt. Cuiuscemodi sunt istæ, An quilibet subditus possit eum occidere quem legitimus Princeps hostem declarauit? An clericus possit ratione banni, citra irregularitatem, hostem patriæ & religionis occidere? An à tyranno oppressus possit in bello cõtra verum Principem seruire? an ei religionem euertenti nullam opem ferre possit? An nullis Catholicis liceat corporaliter inter seditiosos remanere? An in nullo casu possint eos fossione, excubijs, & contributione iuuare? An damnandi sint quotquot contra verum Principem, aut in Catholicæ religionis præiudicium, vllum iurant opitulationis obsequium?

Sunt autem tyranni, aliena occupantes dominia, non vnius & eiusdem generis. Quidam enim iure belli, etsi iniquo, ea inuadunt & occupant. Alij, cùm nullum ius belli habeant, per latrocinium manifestum idem attentant: quales sunt aliorum Regum vasalli, qui cum vasalli tantum sint, bellũ nulli iure indicunt. Quod si indicant, latrocinium, non bellum, censeri debet. Sunt & alij, tantò sceleratiores, quantò infideliores, qui cùm vasalli sint, & fidelitatis Sa-

cramento domino suo multipliciter obligari, audent tamen, periuri, non contra alienum, sed contra proprium dominum, arma mouere, eiq; sua dominia eripere. Denique sunt alij, qui leonem sub vulpina pelle tegere conātur, qui præter inane nomen, quod Principi suo relinquũt, reliqua, quæ possunt, omnia seditiosè, factiosè, & sacrilegè occupant.

Quod Decretum Constantiense etiam concernat tyrannum Rempublicam vsurpantem.

Caput VI.

Seß. 15. SIt igitur prima tractatio de Decreto Patrũ Constantiensis Concilij Illi definierũt doctrinam erroneam esse in fide, & moribus, quod quilibet tyrannus potest, & debet, licitè & meritoriè occidi, per quemcunque vasallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, nó obstante quocunq; præstito iuramento, seu confœderatione, factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato iudicis cuiuscunque.

Hic nonnulli annotarunt Patres loqui de legitimo domino tyrannicè imperante, non autem de illegitimo domino. Cęterùm id ego dicere non ausim. Patres enim indistinctè de quolibet tyranno loquuntur: & doctrina illa de vtriusque generis tyranno, est in fide & moribus erronea, & viam dat ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria.

Quæ

Quæ enim Rempublicam concernunt, non sunt à priuatis personis aut tractanda aut perage̅da. Inter quæ est inuasoris occisio. Fieri enim potest vt Magistratus & Ordines populi iudicent violentiam & tyrannidem eius ad tempus tolerandam esse, ne ex vnius nece, grauiora mala Respublica patiatur.

Itaque, vt diui Thomæ verbis vtar, *videtur magis contra tyrannorum sæuitiam non priuata præsumptione aliquorum, sed authoritate publica procedendum. Primo quidem, si ad ius multitudinis alicuius pertineat sibi prouidere de Rege, nõ iniustè ab eadem Rex institutus, potest destitui, vel refrœnari eius potestas, si potestate regia tyrannicè abutatur. Nec putanda est talis multitudo infideliter agere, tyrannum destituens, etiamsi eidem in perpetuò se ante subiecerat. Quia hoc ipse meruit, in multitudinis regimine se non fideliter gerens, vt exigit Regis officium, quod ei pactum à subditis non reseruetur. Sic Romani Tarquinium Superbum quem in regem susceperant, propter eius & filiorum tyrannidem, à regno eiecerunt, substituta minori, scilicet, consularia potestate. Sic etiam Domitianus, qui modestissimis Imperatoribus Vespasiano patri, & Tito fratri eius successerat, dum tyrannidem exercet, à Senatu Romano interemptus est, omnibus, quæ peruersè Romanis fecerat, per Senatusconsultum iustè & salubriter in irritu reuocatis. Quo factum est, vt beatus Ioannes Euangelista, dilectus Dei discipulus, qui per ipsum Domitianum in Pathmos insulam fuerat exilio relegatus, Ephesum per Senatusconsultum remitteretur. Si verò ad ius alicuius* Lib. 1. de regimine Princip. cap. 6.

sape-

superioris pertineat multitudini prouidere de rege ex pectandum est ab eo remedium contra tyranni nequitiam. Sic Archelai, qui in Iudæa pro Herode patre suo regnare iam cœperat, paternam malitiam imitantis, Iudæis contra eum querimoniam ad Cæsarem Augustum deferentibus, primo quidem potestas diminuitur, ablato sibi regio nomine, & medietate regni sui inter duos fratres diuisa, Deindè cùm nec sic à tyrannide compesceretur, à Tyberio Cæsare relegatus est in exilium, apud Lugdunum Galliæ ciuitatem. Quod si omnino contra tyrannum auxilium humanũ
Psal. 9. *haberi non potest, recurrendum est ad regem omnium Deum, qui est adiutor in oportunitatibus, in tribulatione.*

Hactenus diuus Thomas: vbi etsi tantùm explicet, qua via resistendum sit dominis tyrannis, idem tamen iudicandum est de vsurpatoribus, cum publica negotia à nemine priuata authoritate tractari possint: neque vllius priuati voluntate soluantur, quæ publicè contracta sunt.

An quilibet subditus poßit illum occidere quem legitimus Princeps hostem declarauit.
Caput VII.

QVod etiam ab eo est animaduersum, qui scripsit ex Doctorum sententia quemlibet Regis subditum posse illum, quem Rex hostem declarauit, de medio tollere, & prouinciam eius tyrannide liberare, non aliter atque

que quodlibet in corpore membrum naturali lege poteſt id, quod capiti incômodum & inimicum eſt, amoliri. Nam hic non priuata, ſed Principis authoritate, qui illum hoſtem declarat, gladius accipitur.

Cæterùm circa hæc verba duo ſunt annotanda. Primùm, naturali quidem lege quodlibet membrum caput ſuum iuuare, ſed naturalem ordinem expoſcere, vt membra nihil in corpore ſine iuſſu capitis faciant.

Deindè, hoſtilitatis declarationem non dare cuilibet gladium. Si quis enim hoſtis declaratur, per hoc non cuilibet ſubdito poteſtas datur hoſtem tollendi de medio, ſed illis tantùm qui militiæ aſſcribuntur, & ſacramento militari aſtringuntur, niſi generali edicto quilibet ſubditus legitimè ad hoc authorizetur.

Hinc cum Pompilio Imperatori videretur vnam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione Tiro militabat, dimiſit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet, Cato ad Pompilium ſcripſit, vt ſi eũ pateretur in exercitu remanere, ſecundo eum obligaret militiæ ſacramento, quia priore amiſſo iure cum hoſtibus pugnare non poterat. *Cic lib. 1. Offic.*

Vnicus caſus in quo liceat ſine publica authoritate tyrannum occidere.

Caput VIII.

EST nihilominus ex diui Thomæ doctrina, caſus vnus in quo liceat priuato homini occidere tyrannum Reipublicę inuaſórẽ, *In finem ſecundi S. ſẽtẽtiarum*

non.

nondum obtenta per publicam authoritatem licentia, quãdo videlicet, ad superiorem recursus non habetur, & Respublica nõ nisi per eius mortem liberari poteſt. Vnde Brutus in hoc nõ peccauit, occidens Cæsarem.

Sed vt hoc Ciceronis exemplum ſeponamus, notandum eſt id non licere, niſi indè ſperetur ſalus Reipublicæ: quodque tale nihil ſit attentandum niſi in re euidẽtiſſima, & vbi legitimæ poteſtatis conſenſus præſumitur.

An clericus poſsit ratione banni hoſtem patriæ & religionis occidere.

Caput IX.

ILlud etiam tractari poteſt, num clericus, vel ſacerdos, caput rebellium & hæreticorum, ſolenniter proſcriptum, &, vt loqui ſolent, exbannitum, occidere poſſit. Cuius quæſtiunculæ deciſio ex eo clara eſſe videtur, quod Princeps Catholicus omnibus & ſingulis, tam non ſubditis, quàm ſubditis, authoritatem tribuat, vehementerque exoptet altum alicuius animum, qui id zelo iuuandæ patriæ ac aſſerendæ religionis perficiat.

Cæterùm alterius indagationis quæſtio eſt, num ſacerdos tale quid attentans irregularis foret. Quod videri poſſet, quia iuſtitiam & vindictam exequeretur.

Mihi interim vehementer probatur in viro Eccleſiaſtico illud Gregorij: *Vnum eſt quod breuiter* Libro 7. epiſt. 1.

breuiter suggeras serenißimis Dominis nostris, quia si ego seruus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.

Neque ego vel in corde (vt verbo Ottonis Episcopi Frisingensis vtar) vllius mortem, aut sanguinem, sed tantum morum errorumque emendationem, cupio. *Libro 5.*

Quamquam hæc nemo sic accipiat, rudi iudicio, ac si mihi vlla in parte displiceret, de sui ac Reipublicæ Christianæ contra impium inuasorem defensione oratio, qua Ecclesiastici hominis officium in eo periculi genere declaratur, quæ me censore iam pridé est publicata. Aliud est enim mera defensio, aliud bellum vindicatiuum, aut mixtum. *Ioan. Lensæi oratio.*

Tyranno, sicut latroni, licet in licitis obedientiam iurare.
Caput X.

SEd nunc ad eam quæstionem veniamus, vtrũ nouo domino contra priorem per factiosos & hæreticos aduocato, liceat obedientiam & assistentiam iurare. Quo loco in primis considerandum est, non sic hominem homini addictum esse, quin possit aliquando voluntate, aliquando necessitate vitæ conseruandæ, se sub alterius dominationem transferre. Qui necessitatis casus est, si quis in piratam aut latronem incidat

incidat, à quo sit perimendus, nisi ei se dedat in seruitutem, iuretque fidele obsequium. Tolerabilius est enim seruitutis malum, quàm mortis. Iuxta prouerbium, Minima de malis. Quamuis deprauato quidam per superbiam iudicio mortem sibi consciscere, quàm in seruitutem venire maluerunt.

Porrò sicut à latrone quispiam præoccupatus potest ei seruitutem iurare, ita ciuitas, aut patria præoccupata à tyranno, nec viam euadendi perspiciens, ita vt seruire debeat vel interire, iurare potest nouo domino obedientiam. Ideoque per Prophetam Iudæi monebãtur seruire Regi Babylonis, qui eos occuparat atque oppresserat.

Est autem in præsenti tractatione valdè apposita latronis adhibita similitudo. Si enim à diuo Augustino rectissimè dictũ sit de iniquo, vero tamẽ, rege: *Remota iustitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* an non agnoscendum est maximos esse latrones, qui per violentiam, & tyrannidem, alieni regni iura vsurpant & occupant? Quod ipsum etiam Alexander magnus intellexit, quãdo ab intercepto pyrata audiuit. *Quia ego exiguo nauigio mare habeo infestum, latro vocor: quia tu magna classe, Imperator.* Intellexit enim Alexander se modestis verbis magnum vocari latronem.

Lib. 4. Ciuitatis Dei cap. 4.

Si

Si aduersus priorem & verum Principem bellum suscipitur, neque seruire in eo bello, neque iurare opitulationis obsequium licet.

Caput XI.

AT quamuis eiusmodi alienæ ditionis inuasoribus seruire liceat, in his tamẽ quæ sunt illicita, obedire nefas fuerit. Ideoque si bellum ab ijs suscipitur aduersus priores Principes, nullo scilicet iusto prætextu, sed tantummodo vt iniustæ dominationis fines amplificent, aut ea teneant atque tueantur, quæ per iniuriam veri Principis inuaserunt, neque seruire in eo bello, neq; iurare opitulationis obsequium licet. Nam & latroni, quamuis iurare mihi licuit subiectionem, non tamen cooperationem in latrocinijs exercendis.

Nec obstat quod subindè legitur in huiusmodi inuasorum manus populos à Deo traditos esse. Neque enim diuina illa traditio ius vllum tribuit inuasori, sed pœnam infligit inuasis.

Tyranno religionem euertenti, nullam opem ferendam esse aut gladio, aut consilio, aut labore, aut pecunia.

Caput XII.

QVòd si talis erit tyrannus quem constet non alienæ solùm ditionis fines petere, *Lensæus Cõc. 7. 8. 9.*

verùm etiam religionem Catholicam & pietatem euertere conari, & quascunque ciuitates fecerit suas, easdem etiam hæresi inficere, quis non videat huic opem nulla ratione ferendam esse neque gladio, neque consilio, neque labore, neque pecunia?

Nec verò multum interest si tyrãnus iniusto bello aliena petens, ex intentione religionem non subuertat, malitque forsitan Catholicos præualere, modò palam sit talibus eum ministris & ducibus vti, vt per eos secutura sit, & etiam consequatur, religionis oppressio, vbicunque victoria potiri contigerit. Si enim vbi talis vicerit, hæresis ipsa pariter vincat, consequens est, qui talem ad victoriam adiuuerit, hæresin quoque ipsam adiuuare.

Quin etiam si certum sit benignitate noui Principis, seu pacto libertatis, tẽplum aliquod Catholicis relinquendum, foreq; exercitium veræ religionis in eo templo liberum, tamen victoriæ principia consideranda sunt, quæ certum est per tam sacrilegos belli duces habitura esse, & habere, templorum direptiones ac profanationes: Sacerdotum captiuitates & ludificationes, sanctimonialium constuprationes, & alia pericula castitatis. Deindè in progressu nullàne est iniuria populi Catholici, quod ei vel vnum templum eripiatur? nullàne in Deum iniuria qui in eo templo postea blasphemetur? nullàne pernicies hominum quod hæresis grassari impune sinetur? Tale ergo bellum qui promouent atque adiuuant quacunq; ratione, nemini dubium esse potest, quin non

iniu-

iniustitiæ solùm participes sint, qua aliena petuntur, verùm etiam tantorum illorum, tamque horrendorum sacrilegiorum.

An nullis Catholicis liceat corporaliter inter seditiosos remanere.

Caput XIII.

HIc iam occurrit illa quæstio, An nullis ergo Catholicis liceat inter seditiosos hæreticos remanere: quia quamuis non omnes ad iuramentum cogantur, omnes tamẽ aut vigilijs, aut fossionibus, aut pecunia, opitulationem ferre coguntur. Quod sine iniuria in verum Principem, aut iniuria in Deum & religionem videtur fieri non posse. Si enim qui Prophetam accipit in nomine Prophetæ, mercedẽ Prophetæ recipiet, quis dubitet quin tributa pendens, eius operis particeps sit ob quod tributa dantur? Et, si malè facientibus consentiens, particeps sit criminum eorum, quanto arctius particeps eorum est, qui labore, consilio, excubijs, aut impensis, cooperatur? Hæc argumenta non parum nonnullos mouent, vt cum Propheta dicant, *Recedite, recedite, exite inde:* & cum Ioanne Euangelista, *Exite de Babylone populus meus, & ne participes sitis delictorum eius.* *Matt. 10.* *Isa. 52.* *Apo. 18.*

Videntur tamen casus quidam excipi, in quibus liceat nonnullis inter seditiosos remanere, Quos quinque nobis Dauid Rex insinuasse

videtur, quando Absalom filius contra eum in Hierusalem coniurauit.

Primum enim, reliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. *Facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom. Venit igitur nuncius ad Dauid, dicens, Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalom. Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Hierusalem: Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Absalom. Festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impleat super nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij. Dixeruntque serui Regis ad eum: Omnia quæcunque præceperit Dominus noster Rex, libenter exequemur serui tui. Egressus est ergo rex, & vniuersa domus eius, pedibus suis: & reliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* 2.Reg. 15.

Si ergo concubinis decem (quæ secundariæ erant vxores) licuit inter seditiosos manere ad custodiam domus sine seditionis cõsortio, cur non, secluso periculo, liceat quibusdam ex simili, aut vrgentiori caussa, sine lepræ contagio & communione, inter seditiosos hæreticos manere? vt nõ eo ipso cum eis communicent, quo cum eis conuersantur. Quamuis non facile præsumendum sit huiusmodi conuersationem periculo communionis carere. Vndè nõnullæ Ecclesiasticæ personæ vt tutius permanerent, ab Episcopis suis, aut Vicarijs generalibus, cõsilia postularunt. Qui ad custodienda loca sacra, remanere voluerunt virgines ætate & prudentia maturiores.

Secun-

Secundum casum insinuauit Dauid de peregrinis. *Dixit Rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? reuertere & habita cum Rege, quia peregrinus es, & egressus de loco tuo. Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi? Ego autem vadam quo iturus sum. Reuertere, et reduc fratres tuos.* 2. Reg. 15. Ex quo apparet, posse aliquādo peregrinos inter seditiosos & rebelles naturalia hospitij iura requirere, nec tamen factionis seditiosę habere consortia. Sed aliud est inter hæreticos seditiosos, aduenam & peregrinum esse. Difficulter enim inter eos aduenæ Ecclesiæ Dei municipes & incolæ manent, dum ab eius legibus cessant inculti, ab eius amoribus frigescunt separati, extraneorum moribus conformantur vel nescij, & religionis suæ pericula negligunt incauti.

Tertium casum Rex Dauid subiecit de sacerdotibus. *Et dixit Rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in vrbem: si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi, Non places: præsto sum, faciat quod bonum est coram se. Et dixit Rex ad Sadoc Sacerdotem. O Videns, reuertere in ciuitatem in pace: & Achimaas, filius tuus, & Ionathan filius Abiathar, duo filij vestri, sint vobiscum. Reportauerunt ergo Sadoc & Abiathar arcam Dei in Hierusalem, & manserunt ibi.* 2. Reg. 15. Neque iudicandi sunt Sacerdotes isti arcæ solius ministerio occupati, schismatici, cùm schisma non faciat violenta loci diuisio, sed animi scelerata diuulsio, nec terreni Principis vsurpata tyrānis, sed dirupta vni-

tas Christianæ pacis. Quam pacem isti Sacerdotes, inter arma pacis cultores, inter diuisos vnitatis copulatores tanto seruant tenacius, quanto difficilius: nec solùm conseruant inuiolatam, sed redintegrant collapsam, agglutinant conuulsam, coniungunt hiantē, & confirmant cohærentem.

Quartum casum proponit eodem capite rex
2. Reg. 15. Dauid de ijs qui dissipant consilia seditionis. *Cùm ascenderet Dauid summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, & terra pleno capite. Et dixit ei Dauid, Si veneris mecum, eris mihi oneri: si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalom, Seruus tuus sum: sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus, dißipabis consilium Achitophel. Habes autem tecum Sadoc & Abiathar Sacerdotes: & omne verbum quodcunque audieris de domo Regis, indicabis Sadoc & Abiathar Sacerdotibus. Sunt enim cum eis duo filij eorum Achimaas filius Sadoc & Ionathan, filius Abiathar: & mittetis per eos ad me omne verbum quodcunque audietis.*

Quintus casus in superioribus innuitur, quando rex consentit vt nonnulli ad seditiosos redeant, aut inter eos remaneant. In qua re clementissimum Regem Catholicum subditis suis perbenignum esse, ijs videlicet, qui inter seditiosos quieti redemptionem suam, & Catholicæ religionis restaurationem gemebundi expectant, non est obscurum.

An remanens inter seditiosos, possit aliquando fossione, excubijs, & contributione, eos iuuare.

Caput XIIII.

Contra prædictos casus fortassis aliquis obijciat, Libenter concedo inter seditiosos aliquos habitare posse, si euitari possit seditionis consortium, sed non video quomodo illud euitari possit, vbi omnes ad fossioné, vigilias, & contributiones, coguntur.

Discutiendum est proindè an aliquæ circumstantiæ huiusmodi actus excusare possint. Et in primis, si quis fodiat ad mœnia, si quis ibidem excubias agat, non vt legitimum Principem excludat, sed ne miles direptioni & prædæ inhians, ciuitatem intret, antequam cum legitimo Principe transigatur, ibi potest aliquando nulla esse contra Principem suum rebellio, sed tantùm prudens malorum multorum auersio.

Deindè, quando Dauid concubinis permisit, vt ad custodiam domus inter seditiosos permanerent, permisit eis etiam vt consueta, aut communia Reipublicæ onera subirent. Alioqui eas non rerum suarum custodiæ reliquisset, sed direptioni exposuisset, & carceri mancipasset.

Cõsẽsus igitur Principis vel expressus, vel tacitus multùm subditos in hac parte excusare potest. Quo etiam pertinet quod Dauid remittens Hierosolymam Chusai Arachitam, dixerit,

2.Reg. 15. rit, *Si veneris mecum, eris mihi oneri.* Quid enim aliud, quàm commiserationem & compaſſionem Regis onerant, qui ſine Regis ſubſidio ſuis exuuntur rebus? Mandauit proindè Dauid ei, vt rediens diceret Abſaloni, *Salue Rex, ſalue Rex: ſicut parui patri tuo, ita parebo & tibi.* Qui autem conſenſit, vt eum ſalutaret, vtique conſenſit vt communia onera, & officia, ei non negaret.

Eodem pertinet quod noſtro tempore multarum villarũ incolæ & municipes, ſalua Principis ſui gratia, hoſtibus & rebellibus contribuãt, vt domi reſidere poſſint. Quod iam olim etiam factitatum eſſe, cùm Ariani Longobardi Italiam diuexarent, ex Gregorij magni teſtimonio nõ eſt obſcurum, cuius hæc ſunt verba, Libro 4. Epiſt. 34. *Viginti iam & ſeptem annos ducimus, quòd in hac vrbe inter Longobardorum gladios viuimus. Quibus quàm multa hac ab Eccleſia quotidianis diebus erogantur, vt inter eos viuere poſſimus, ſuggerenda non ſunt.*

Rurſus quàm multa extant apud veteres redemptionis captiuorum exempla. Quibus etiam Eccleſiæ ſuos theſauros impendi voluerunt. Et noſtro tempore, licet iam pridem Ferdinandus Toletus, Dux Albenſis, huiuſmodi lytra, veluti Reipublicæ noxia, & hoſtib⁹ animos ac vires addentia, prohibuerit, poſtea tamen clementia Regis & Vicariorũ eius, ea non tàntùm perbenignè indulſit, ſed ipſe etiã ad multorum captiuorum redemptionem, cum ſuo diſpendio, cooperari voluit.

Itaque

Itaque qui iniusta quædam onera tolerant, ne totũ eis diripiatur, & tamen se inter barbaros & seditiosos homines intra Catholicæ religionis angustos terminos cõtinent, & dispendium quod Principi suo inferre videntur, per ardentes preces, sana consilia, aliaque media, recompensant, nec dici volunt rebelles, neque Regia Maiestas tales eos nominari vult.

Vtrum remanens inter seditiosos poßit ad iniustum bellum dare, aut potius pati, contributiones.

Caput XV.

SEd contra prædicta obijci potest clemẽtem Principem subditis suis inter rebelles existentibus, posse ea permittere, quæ peccata non sunt, sed si peccata permittat, eos coram Deo & Ecclesia excusabiles non esse.

Id certum est. Itaque vt sint rebelles & inobedientes, vt foueant bellum iniustum, vt ad seditionem confirmandam dent contributiones, aut vt alia quædam illicita perpetrent, neque ille annuere potest, neque subditi, si is annuat, tuti sunt, aut iustam in peccatis suis excusationem habent.

Quare hîc animaduertendum est in primis, si in genere petatur contributio, quæ multis alijs licitis vsibus subseruire potest, licitè eam dari: si verò specialiter ex malo titulo exigatur, dari non posse. Deindè animaduertendum est, si vis inferatur, aliud esse malum pati, aliud

malum facere: & quod quædam tolerare liceat, quæ facere non licet: quædam exequi, quæ priuato iudicio non probentur. Quæ duo Hadrianus sextus Louanij anno 1491. per exempla quædam explicuit, non in communi lectione, sed coram doctissimis viris, in oratione Quodlibetica, in qua, vt ipsemet loquitur, tanto diligentius pro veritate exarāda inuigilare solet, quanto plures ad eam confluunt.

Quodl. 2.

Sunt autem exempla quæ proponit huiuscemodi: An Canonico liceat fouere causam capituli, quam ipse existimat iniustam esse, reliqui verò Capitulares æquam, iustam & bonam, esse opinantur. An conclusionem à pluralitate captam de bello mouendo, liceat ei exequi contra cuius deliberationem & opinionem de iniustitia belli mouendi, conclusio capta est. An medicus cum alijs practicans possit conclusionem phlebotomiæ cum alijs exequi, quam ipse sentit ægro mortiferam fore. Ad quæ respondet, quod Canonicus possit coactus publica authoritate permittere vt sua auferantur. Et rectè, siue enim velit, siue nolit, quicquid Capitulum in causæ defensionem expendit, hoc, nisi ex peculio accipiatur, à singulorum Canonicorum fructibus capitatim detrahitur.

Idem deindè addit esse de milite dicendum quod de eo qui paret iniustæ sententiæ, vbi Innocentij tertij est in iure Canonico resolutio: *Quia sæpe contingit quod executio sententiæ ordinario demandatur, quæsiuisti an si ipsam iniustā esse cognouerit, debeat eam executioni mandare, an sit ei potius*

De off. & potestate Iudicis delegati. c. Pastoralis

tius subsistendum. Attendentes itaque quod non cognitio, sed executio tantùm demandatur eidem, respondemus quòd cùm ordinarius teneatur obsequi delegato, etsi sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominus tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, vt ab hoc onere eum absoluat. Quamquam hoc Innocentij decretum diuersimodè ab interpretibus intelligatur, & ab Adriano sexto aliquoties tractetur, qui asserit illud, locum non habere, quando ob testium dicta innocens esset condemnandus, sed in alijs quibusdã casibus. Quales sunt, contumacia in non comparendo: mala causæ defensio: omissa aut non prosecuta appellatio. De quibus alibi agendum est.

Tertiò quod ad Medicum attinet, dicit eum posse propter aliorum opinionem sibi ipsi discredere: sed si permaneat in sua opiniõe, quod phlebotomia ægro erit mortifera, eum nõ posse experiri an æger eo modo poterit mortem euadere. Quamquam autem ipse hoc experiri non possit, cùm tamen iusto numero ad ægrum medici vocantur, possunt illi ex plurium sententia contra morbum aliquid præscribere collegialiter, quod vni eorum improbetur, nec tamen is propterea à collegis suis, siue à communi visitatione & curatione ægri, se subtrahere cogitur.

Multa secundum veniam relaxari infirmitati.
Caput XVI.

Porrò distinctionem quæ est inter dare & pati, mul-

ti,multi non intelligunt: & à seditiosis hæreticis vrgentur sæpè Catholici qui inter eos cõmorantur, vt in vsum nefarij belli, non tantùm patiantur contributiones, sed etiam eas dent, & adferant.

Verùm hic mihi ad multitudinis commiserationem & consolationem occurrit illud diui
Cap. 19. Augustini contra mendacium scribẽtis, *Mul-*
Tomo 4. *ta secundum veniam relaxantur infirmitati, quãuis synceriſsimæ nequaquam placeant veritati*. Multa, dico, secundum veniam relaxari infirmitati, quæ, si mendacia sunt, syncerissimæ nequaquã placent veritati: si rectè facta non sunt, cõstantissimæ non congruunt integritati. Peccatur itaque sicut officioso mendacio à mentiẽtibus, ita & mendaci officio à cooperantibus. Quale peccatum fuit simulatio Chusai, quem Dauid
2. Reg. 16 Rex ad seditiosos Hierosolymitanos remisit. Verùm multa humanæ necessitatis compassione secundùm veniam relaxantur infirmitati. Quod qui facere renuit, non humanum quid, propter infirmitatem carnis nostræ loquitur: sed Angelicum quid, supra facultatem communis conuersationis nostræ, meditatur.

Itaque nos, qui in alijs peccatis versamur, nõ confratres nostros Catholicos, qui sub iugo seditiosorum hominũ gemunt, mordacibus aut amarulẽtis verbis lapidemus, sed omnibus condoleamus illis, qui inter seditiosos cooperationis tolerant consortium, intentionis seruant diuortium, & restitutionis suspirant obsequium.

Quod

Quòd non liceat contra verum Principem, aut in religionis præiudicium, iurare opitulationis obsequium.

Caput XVII.

VErùm noua est, & nō parua bonorum hominum inter seditiosos, periculosis istis & vltimis temporibus, [illegible]tatio, quod ij non tantùm contra verum Principem, & in Catholicæ religionis præiudicium, opitulationis obsequium exigant, sed idem velint iureiurando firmari.

Quamuis enim diuus Augustinus scripserit multa secundum veniam relaxari infirmitati, mox tamen adiecit, *Nullo modo tamen in tantum sunt permittenda conscendere, vt od periuria, blasphemiasque, perueniant.* *Cōtra mēdacium, cap. 19.*

Vndè si Catholici quædam opera cum seditiosis communiter peragant, aut etiam eadem se facturos fide boni viri promittant, nullo modo hæc iuramento confirment, ne Dominum Deum, quem expauescunt iudicem, malorum suorum inuocando testem, augeant crimen, ac prouocent vindicem. Hoc enim tātum malum omnibus malis, quæ ab hominibus infligi possent, est posthabendum, cùm sit maioris iniuriæ, grauioris culpæ.

Similiter etsi simulatio, exemplo fortassis Iudith, & Chusai, sit indulgenda in rebus politicis, *Iudith 11.* *2 Reg. 16*

cis, nulla tamen ratione est committenda in re-
4. Reg. 10 bus religionis, quasi, exemplo Iehu, vt falsam religionem euertas, eam te colere velle, vel ad tempus simules. Intantùm enim religionis falsæ simulatio, à veritate est prohibita, vt nullius boni possit compensationi indulgeri, nullius mali quasi maioris euasione concedi.

Quare, vti iam antè meminimus, si tyrannus religionem quoque & pietatem euertere conetur, quis non videat ei opem nullam ferendam esse? Neque multum interest si intendat religionem non subuertere, malitque Catholicos præualere, modò ijs ministris, & ducibus vtatur, per quos religio opprimatur. Imò si Ecclesia quædam, pacto libertatis, Catholicis relinquatur, nondum excusantur qui tale bellum quacunque ratione promouent atque adiuuāt. Nam & iniustitiæ, qua aliena petuntur: & horrendorum sacrilegiorum quæ in bello illo & post victoriam plurima fiunt, participes esse dinoscuntur.

Extare doctorum virorum determinationes contra iuramentum Antuerpiense, Francisco Alenconiensi præstitum.

Caput XVIII.

ITaq; turpiter à regia veritatis semita exorbitarūt Antuuerpiēses, qui anno octuagesimo secundo ad duodecimum diem Aprilis per viam arresti, vt ipsi loquuntur, nouum & execrabile

erabile conceperunt iuramentum, quo abnegato Catholico & optimo Principe suo Philippo Austriaco, præstari voluerunt deinceps Frãcisco Valesio, Duci Alenconiensi.

Contra quod non multò pòst Louanij editi sunt duo octerniones, quorum vnum Michael Baius Cancellarius, & alterum Ioannes Lensæus, clarissimæ eruditiõis, Regiæ Maiestatis Theologi, conscripserunt. Quæ scripta etsi breuia sint, bonæ tamen voluntatis hominibus, in ea tentatione, quæ vno anno perdurare non potuit, suffecisse videntur.

Dissoluuntur obiectiones quæ propositæ sunt pro iuramento Antuuerpiensi ex Scriptura.

Caput XIX.

VErùm non inutile erit percurrere eas obiectiones quas nonnulli pro defensione prædicti iuramenti attulerunt. Quamquam enim in eis non sit multa difficultas, nebulas tamen quibusdam offuderunt, quas etiã nunc discutere expedit, etsi ea tentatio cessare videatur. Ea igitur subijciam, quæ illa tentatione perdurante conscripsi.

Obiectio I. est,

Christus obediuit Pilato, qui fuit alterius religionis quàm Iudæi erant, & tamen per Romanos contra omne ius intrusus fuit.

Responsio.

Christus Saluator noster, qui peccare nõ potuit,

tuit, & obediuit, & iurare potuit obedientiam, Pilato vicario Imperatoris Romanorum, sed in rebus licitis, non autem in rebus illicitis, vbi locum habeat illud, *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.*

Actor. 5.

Neque verum est Pilatum contra omne ius intrusum fuisse per Romanos. Tunc enim temporis Imperator erat verus Iudæorum dominus, partim iusto Dei iudicio, & partim consensu populi, aut eorum qui populum repręsentabant. Quò illud pertinet, vt iam anteà meminimus, *Non habemus Regem nisi Cæsarem.*

Ioan. 19.

Quia verò Christi obedientia vrgetur, non aliud de ea, quod huc pertineat, legitur in sacris literis, quàm quòd Pilato patiendo obedierit: quodque cum didrachma peteretur, dixerit Petro, *Stateram sumens, da eis pro te, & me:* Denique quod Pharisæis eum tentantibus, viso numismate census, eiusq; imagine & superscriptione, responderit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*

Matt. 27. *Matt. 17.* *Matt. 22.*

Obiectio II. est,

Baruch 1. *Orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vita Balthasar filij eius, vt sint dies eorum sicut dies cœli super terram, & vt det Dominus virtutem nobis vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub vmbra Balthasar filij eius, & seruiamus eis multis diebus.*

Responsio.

Iudæi & priuati homines, & serui, non potuerunt se ei opponere: Præterea, ipsi cum Rege suo, Dei voluntate, in Chaldæorum manus

tenerant. Vndè non licuit Sedeciæ vrbem contra illorum oppugnationem protegere. Si quidem expreſsè per Ieremiam præceperat Deus vt ſe Chaldęis traderét. Itaq; traditio illa diuina pœnā inflixit inuaſis, licet ius nullū tribuerit inuaſori. Fortaſsis tamen Nabuchodonoſor qui primū iniuſtè inuaſit terram Iſrael, poſtea eam ſibi iuſtè ſubegit, quando Sedecias fœdus violauit, & contra iuſiurandum ſuum noluit diutius ei, tributa ſoluendo, ſeruire. *Ierem.34.*

Denique cùm Iſraelitæ per Ieremiam Prophetam cognouiſſent ſe ſeptuaginta annis futuros in Babylone, nón mirum eſt eós pró vita Nabuchodonoſor & Balthaſar oraſſe, vt ſub eorum vmbra ipſi & eorum filij viuerent. Dixerat enim eis per Ieremiam Dominus exercituum, *Quærite pacem ciuitatis ad quam tranſmigrare vos feci· & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis.* *Ierem.29* *Ibidem.*

Obiectio III. eſt,

A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt. *2. Petr. 2.*

Reſponſio.

Serui ex eo appellati ſunt, ait Iuriſconſultus, *quod Imperatores captiuos vendere, & per hoc ſeruare, nec occidere ſolent. Indè & mancipia*, ait Auguſtinus, *quia manu capta ſunt*. Et de huiuſmodi ſeruitute ex ſtatu ſui temporis loquitur Apoſtolus. *Lib.1.P. de ſtatu hominis. Auguſt. in Gen. qu. 113.*

Cęterùm inter Chriſtianos antiquiſſima cōſuetudine introductum eſt, vt capti libertatem non amittant, ſed præſtita victori pecunia, quā λύτρον Græci vocant, veniam recedendi impetrent,

petrent, aut deuicti victori fidelitatem præstent.

Est nihilò minùs inter istos quoque non par ua seruilitas, quando deuictus victori cogitur præstare iuramentum fidelitatis. Cæterùm iuramentum Antuuerpiense exigit fidelitatem in rebus illicitis, quam neque iuratam neque iniuratam vnquam præstare licet. Quomodo latroni neque cooperari, neq; cooperationem iurare in latrocinijs vnquam licet, etsi ex causa ei subiectionem iurare liceat.

Obiectiones quæ ex parte religionis propositæ sunt, dissoluuntur.

Caput XX.

Obiectio IIII.

NOn agitur de renuncianda religione Catholica, sed de ea eiusque exercitio recuperandis, medio hoc iuramento.

Responsio.

Rom.3. Non sunt facienda mala vt eueniant bona. Deinde etsi nouus dominus ab Antuuerpiensibus vocatus ex intentione religionem non subuertat, malitque Catholicos præualere, ijs tamen vtitur ministris & ducibus, per quos religio opprimit.

Quin etiam si per pactum libertatis templũ aliquod Catholicis relinquat, nondum excusantur, qui eius bellum quacunque ratione promouent atque adiuuant. Nam, vt semel atque iterum

iterum antea memini, & iniustitiæ qua aliena petuntur: & horrendorum sacrilegiorum, quæ in bello & post victoriam plurima fiunt, participes esse dinoscuntur.

Obiectio V. est,

Istud iuramentum non magis est contra religionem, quàm sit pacificatio Gandauensis. Quā tamen dominus Ioannes ab Austria, cum multis alijs iurauit, & Regia Maiestas approbauit.

Responsio.

Hoc iuramentum exigit cooperationem in malo. Felicis autem memoriæ Princeps Ioannes ab Austria, pro Catholica fide zelosissimus, non aliud, quod religionem concernat, in ea pacificatione confirmandū iurauit, quam tolerantiam minorum malorum ad aliquod tempus ad euitandum mala maiora.

Scio quibusdam tam turbulento aut obscuro esse iudicio, vt istud non assequantur. Quò pertinet quæstio mihi aliquando ex Artesia transmissa, An pacificatio Gandauensis, cui Artesiensis innititur, nulla venena complectatur septem primis, item secundo & vigesimo secundo articulis. Quam quæstionem cùm intelligerem etiam in sacris concionibus quosdam sic tractare, vt clamarent eam religioni contrariam esse, breuiter rescripsi. Hîc omnibus priuatis affectibus atque opinionibus publicum iudicium anteponendum esse puto. Cùm enim Regia Maiestas post multas deliberationes Gandensem pacificationem confirmauerit: eamq; confirmationem in pacto Artesiensi, atque in articulis Coloniensibus renouauerit, periculo

ſe agunt Sacerdotes, qui ex priuato iudicio, aut ex articulis non intellectis, publicum iudicium audent interturbare. Hi enim maiore cum humilitate cogitarent nō eſſe ſuum loqui contra concluſionem Catholici Regis, quem & Apoſtolicum Legatum, & Principes viros Germaniæ, tam Archiepiſcopos, quàm alios, cæterosque complures viros, in conſilium adhibuiſſe ignorare non poſſunt. Itaque quamdiu Patres Eccleſiarum, & potiſſimum quamdiu Pater patrum tacet, tantiſper cum debita reuerentia, taceant & filij.

Ad ea quæ ex parte veri Domini proponere non verentur, reſponſio.

Caput XXI.

Obiectio VI. eſt,

REx Philippus fidem ſubditis ſuis in iucūdo ſuo introitu datam, & iureiurando ſolenniter confirmatam, non ſeruauit. Ideoque per ipſum Regem ab omni obedientia & fidelitate qua ei aſtricti eramus, liberati ſumus.

Reſponſio.

Priuilegium læti introitus, habet articulos quinquaginta octo, & in duabus appendicibus alios articulos viginti ſex. Mihi ſanè non libet per hos octuaginta quatuor articulos diſcurrere, & in quibus Regia Maieſtas ſecundum veſtros affectūs peccauerit perſcrutari. Ego enim Principi meo optimo, coram Deo, eam defero reue-

reuerentiam,vt non credam eum,aut eius officiarios,iuramento læti introitus contrauenisse. Et quod ad vestram generalem accusationẽ attinet,per quam simplicioribus fucum facere vultis, similem calumniam passus est Saluator noster. Cùm enim Pilatus diceret, *Quam accusationem adfertis aduersus hominem hunc? responderunt & dixerunt ei, Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Sed contra hanc responsionem iusta fuit Pilati indignatio, cùm iuris ordo requirat,vt de particularibus sumatur iudicium: neque vnquam in tribunali condemnetur,qui generatim sceleratus accusatur,& de nullo crimine particulatim conuincitur. Quare cùm infidelis homo Pilatus optimo iure reiecerit eiusmodi accusationem à summis Sacerdotibus propositam,pudeat vos huiusmodi generali macula,more aspidum,omni reuerentia sepofita, clementissimum vestrum, & naturalem Principem maculare. *Ioan.18.*

Sed præsupponamus, quia id vultis, articulos quosdam læti introitus non obseruari à Rege,aut ab eius officiarijs, an ꝓpterea potuistis è Francia nouum dominũ priore abiurato aduocare? Nihil minùs. Neque enim diploma inaugurationis aliud habet,quàm quòd Dux,si in omnibus,aut in parte aliqua violet pacta inaugurationis,permittat sibi & suis successoribus tantisper debita seruitia & obedientiam denegari, donec id, in quo peccatum est, correxerit & reparauerit. *Artic.58.*

Deinde ex verbis diplomatis intelligitur articulos illos priuilegia esse à Ducibus gratio-

sè pro se & suis successoribus concessa. Quis autem nesciat priuilegia per crimen læsæ Maiestatis amitti? & dum dantur atque iurantur tacitam hanc conditionem includi, ac tûc ipsamet sese interimere, & suo se vigore priuare? Viderint proindè qui per annos aliquot euersa Catholica religione grauissimas iniurias Deo, Ecclesiæ, Regi, & patriæ intulerunt, qua fronte nunc demùm audeant Regi Catholico periurij crimen imponere, eíque nouum Ducem supponere: Cùm clementia eius, vt toti orbi Christiano notissimum est, in conuentu Coloniensi non solùm omnium priuilegiorum obseruationem, sed præterea honestissimas & æquissimas obtulerit conditiones, quæ & Imperatori, & Imperio, dignæ visæ sunt, quas subditi amplecterentur.

Verùm libenter persuaderēt aduersarij Philippum non aliter, quàm sub certis conditionibus Ducatui inauguratum esse: quas si non seruet, eum Ducatu priuari posse. Quod ridiculũ est. Meritò quidem ab inaugurando Principe fideles subditi exigunt, vt ea iuret priuilegia cõseruare, quæ eius maiores pro se & hæredibus suis dederunt. Et Principes vltrò subditis suis iuramentum tale offerunt. Sed nusquam Dux Brabantiæ in sua inauguratione vllam adiecit pœnam amittendi sui Principatus. Nec sub tali restrictione ei fidelitas iuratur.

Huc accedat Ducatum Brabantiæ esse patrimonium Philippi Regis, quod illi hæreditario iure obuênit, non ex electione aut donatione subditorum: sed ex libera resignatione Impe-

ratoris.

ratoris. Cùm enim Otto Imperator, vt ad annũ nongentesimum quadragesimum quintum meminit Sigebertus, Lotharingiam sibi subiugasset, postmodùm Henricus quintus, Imperator, ex iudicio Principum aulæ Imperialis Ducatũ Lothariensem optimi testimonij viro Godefrido Comiti Louaniensi hæreditariè, & in perpetuum possidendum donauit.

Denique vt demus in aliquo casu, quem fortassis lex naturæ annuat, Ordines Ducem suum Ducatu priuare posse, cùm sit patrimoniũ, quo iure ab hæreditate sua proximiores hęredes excludi poterunt? Quod nunc non ab Ordinibus Brabantiæ, sed à parte, aut à larua Ordinum, ab hominibus, qui se à maiori & digniori parte Ordinum Brabantiæ turpissimo schismate seiungunt, fœdè est attentatum.

Obiectio VII. est,

Regia Maiestas subditos suos particulares secundum iura habere debet excusatos. Quomodo Neapoli excusati fuerunt multi nobiles & subditi, Franco iurantes fidelitatem contra naturalem suum Principem.

Responsio.

Iuramentum Antuuerpiense sic fabricatum est, vt cogantur iurare rebellionem & cooperationem in hæresin. Quod lex Dei nõ permittit.

Et facilè credo quod Rex ex ijs qui iurauerũt, multos habebit excusatos à pœna, quos ipse punire nolet, etsi à culpa excusatos habere non possit.

Obiectio VIII. est,

Rex non defendit nos: igitur oppressi, extra culpam sumus.

 Re-

Responsio.

Pertinet hoc ad Dei iudiciũ atq; iram, quod Catholici & potentissimi Principis conatus, atque immensi sumptus, non habeant meliores progressus.

Hoc quidem verum est, Regi suo non rebellare ciuitates, nec contrauenire iuramento ipsi præstito, (quæ à potenti exercitu inuasæ, cui si resisterent, destruerẽtur: alieno Principi, à quo inuaduntur, se subijciunt: nullamque ex iusto timore factam deditionem de iure pœnam mereri: denique nec subditis qui à domino suo sine auxilio, aut subsidio relinquuntur, quicquã posse imputari, si se ex metu hosti tradant: quia sicut ipsi obligantur dominum suum iuuare, & propriam ciuitatem tueri, ita quoque dominus & Princeps, qui est pater subditorum, cogitur eos defendere.

Cæterùm aliud est hosti se ex iusto metu dedere, quia Domini defensio deest: aliud verò aut hosti, aut occupatori ea iurare quæ iure diuino illicita sunt.

Ex parte Magistratus quædam obijciuntur, & diluuntur.

Caput XXII.

Obiectio IX. est,

Non tenentur singuli de plebe inquirere, de negotijs & regimine Reipublicæ.

Responsio.

Bern. de præc. & disp. *Imperfecti cordis & infirmæ prorsus voluntatis in dicium*

dicium est, statuta seniorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ iniunguntur, exigere de quibusq; rationem, & malè suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit.

Quare cum diuo Basilio dicamus, Quemadmodũ oues pastori obediunt, eò pergentes quò duxerit eas pastor, sic cõuenit exercitatores pietatis obedire præfectis, non curiosè inuestigando præcepta. *Cap. 23. Constitutionũ monasticarũ.*

Ideoque diuus Augustinus contra Faustum scripsit, quòd *ordo naturalis mortalium paci accommodatus, hoc poscat, vt suscipiendi belli authoritas, atque consilium penes Principes sit: exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant paci, salutiqúe communi: Vir igitur iustus constitutus sub Rege etiam sacrilego, rectè potest & debet illo iubente bellare ciuicæ pacis ordinem seruans, cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum nõ est. Ita vt fortaßis reum Regem faciat iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* *Libr. 22. cap. 75.*

Cæterùm quædam nõ sunt incerta & dubia, sed tam clara, vt nulla egeant inquisitione. Inter quę est formula iuramenti Antuuerpiensis, vbi cùm petitur cooperatio in rebellione & hęresi, locum habet illud Apostoli. *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.* Et quicunque iurat, cauere debet, ne aut falsa, aùt illicita iurando, incidat in periurium. Ideoque etsi non deceat priuatos homines nimis curiosè scrutari mandata superiorum: potest tamen subditus, *Act. 5.*

cui per factiones nouum obtruditur iuramentum, prudenter, modestè & reuerenter examinare, num iurando conscientiam suam lædet.

Obiectio X. est,

Debent singuli obedire Magistratibus, etiam discolis, & tyrannis.

Responsio.

Non est dubium quin etiam Christiani obedire debuerint Neroni. Verùm vbi aut quod impium, aut quod iniquum est, Magistratus pręcipit, respondendũ est, quod responderunt Petrus & Ioannes: *Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate:* & quòd à Magistratu in Concilium adducti, Petrus & Apostoli responderunt, *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*. Nunquam enim vlli cum ignominia creatoris obedire licet.

Act. 4.

Act. 5.

Quod etiam clarissimus Iurisconsultus Papinianus, etsi Christianus non erat, agnouit. Maluit enim à tyranno Caracalla occidi, quàm fratricidium quod patrarat vel probare, vel suo patrocinio defendere.

Obiectio XI. est,

Ecclesiasticus Magistratus antequam vellet iurare, magnam coram sua Celsitudine disputationem inijt cum Ecclesiaste, & alijs viris doctis, qui ex Francia aderant, & ab eis satisfactionem acceperunt.

Responsio.

Philosophi sententia est Sermones vniuersales, inanes esse. Quod facile intelligeretur, si in particulari nobis proponeretur Sacerdotum Antuuerpiensium disputatio, & Francorum satisfactio.

tisfactio. Quæ ego suspicor per mẽdacia bonis hominibus obtrudi, vt ijs modis per fœdum iuramentum illaquueentur. Non enim mihi persuadere possum, reliquias Sacerdotij, quæ in hoc tristi statu Antuuerpiæ remanent, tantùm habere alacritatis, vt coram Duce Alenconiensi disputarent iniquum esse quod proponitur iuramentum. Multò minus credibile est eis à viris doctis satisfactum esse. Sed hæreticis familiare est mentiri audacter.

Dissoluitur, obiectio ex vi & metu desumpta.

Caput XXIII.

Obiectio XII. est,

QVando vi expugnata ciuitate victor victum ad præstandum fidelitatis iuramentum cogit, nullum in eo à victo peccatũ committitur. Similis & hic accidit coactio, quantum ad singulos de plebe attinet.

Responsio.

Ad hanc obiectionem respõdetur, Sicut præceptum obediendi parentibus intelligitur in licitis & honestis, sic & iuramẽtum fidelitatis, quod per ingenuos Principes hactenus à deuictis hostibus in genere exactum est, non nisi in licitis & honestis debet intelligi: & ideò non in præstando iuramẽto fidelitatis, sed forte in obseruando potest esse peccati periculum. Cæterùm in iuramẽto Antuuerpiensi plura in particulari manifestis verbis, apertè falsa aut illicita *Baius de iuramẽto Antuuer.*

cita

cita continentur, ad hoc ab hæreticis, diabolo ſuggerente, excogitata, & fidelibus ad iurandū propoſita, vt fideles vel ſalute perpetua excidant, vel temporalibus bonis hoc prętextu poſſint à ſectarijs ſpoliari.

Obiectio XIII. eſt,

Iuſiurandum vi vel metu extortum ſolet Ecclesia remittere.

Reſponſio.

Titul. 40. Eſt in libro primo Decretalium Titulus de
Titul. 24. his quæ vi metúsve cauſſa fiunt: & in libro ſecundo alius de iureiurando. In quibus docetur quod pro nullo metu liceat alicui peccatū mortale incurrere. Quod etiam alibi dè veniali docetur. Itaque iuſiurandum de re illicita extortum, non ſolet Eccleſia remittere, ſiue relaxare, cùm nemo ſapiens putet illicita iuramenta eſſe tenenda.

C. Super eo. De vſuris.

Cæterùm doceat nos aliquot citatorùm titulorum canones, iuramenta, quę de rebus licitis per vim & iuſtum metum fiunt, de iure in irritum reuocari, & Romanos Pontifices talia iurantes, à iuramenti nexibus abſoluere.

Porrò iuſiurandum Antuuerpienſe ad hanc poſteriorem claſſem referri non poteſt, cùm nimis manifeſtè in rebelliõe, in hæreſi, & ſchiſmate, turpem cooperationem requirat.

Obiectio XIIII. eſt,

Iuſtus quilibet metus, vt docent Iuriſconſulti, excuſat ab omni culpa & dolo. Eſt autem metus amiſſionis ſtatus, honoris, dignitatis, bonorum, & patriæ, plus quàm iuſtus.

Reſpon-

Responsio.

Negatur hunc metum iustum esse quando de peccato agitur. Dicit enim Pontifex quod pro nullo metu liceat peccatum mortale incurrere: Et Christus, Saluator noster, *Omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ posidet, non potest me us esse discipulus.* Qua sententia significare voluit, non esse suum dignum discipulum, qui ei non postponit omnia quæ possidet.

Lib 1. Decret. tit. 40.
Luc. 14.

Respondetur ad argumenta alia ex parte necessitatis.

Caput XXIIII.

Obiectio XV. est,

VInculum obligationis quo singuli de plebe Principi suo obstricti sunt, non tantum est, vt in gratiam eius onerati vxore & liberis, sedes suas relinquere, profugere, per orbem vagari, mendicare, & miseria contabescere debeant, qui media non habent, vnde foris vitam sustentare valeant.

Responsio.

Non hæc facienda sunt propter Principem, sed quia bonis temporalibus Dei gloriam: impietati pietatem: & saluti corporis momentaneæ, æternam animæ felicitatem præponere oporteat. iuxta illud Christi, *Qui amat patrem, aut matrem, plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam, super me, non est me dignus. Et, qui inuenit animam suam, perdet illam.*

Matt. 10.

Dein-

Deindè benefaciendum est necessarijs, sed non cum vllius alterius iniuria: multò minus cum iniuria Dei. Quæ non parua est, vbi per tale iuramentum id consulitur amicis, quo Dei honor, sacrilegis cooperando, læditur: vbi lex Dei rebellando violatur: & Ecclesia perniciosæ libertatis approbatione labefactatur.

Lensæus Concl. 15.

Obiectio X VI. est,

Multitudo hæreticorum, & necessitas communicandi, & negotiandi, facit licitum, quod alias non esset licitum, iuxta regulam, *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Doctor Nauarrus in Manuali confessariorum, cap. 27. num. 35.

Responsio.

Cap. 5. & 6.

Docet Bernardus, in libro de præcepto & dispensatione illud quod non ab homine traditum, sed diuinitus promulgatum est, nullam prorsus humanam dispensationem admittere: nec cuiquam hominum ex his aliquo modo soluere licere. Et quædam ex eis ita diuina & æterna ratione formata esse, vt nulla ex causa possint vel ab ipso Deo aliquatenus mutari.

Beda autem dum scribit, Quod non est licitũ in lege, necessitas facit licitum: non loquitur de lege diuina, sed de lege quæ ab homine lata est. Vndè exempla subiungit: Nam & sabbathũ custodiri præceptum est. Machabæi tamen sine culpa sua in sabbatho pugnant. Sic & hodie, si quis ieiunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.

1. Mach. 2.

Nauarrus ca. 9. nu. 6 cap. 27. num. 35.

Eodem pertinet tertium exemplum à Nauarro additum quod Catholici in Germania, Gallia,

lia, & alijs aliquot regnis, non vitent eos qui notoriè sunt hæretici, & in iure, & per bullam Cœnæ Domini excommunicati. Cùm enim durum sit damnare gentem, in qua tot sunt viri eruditissimi ac pientissimi: & Academię celeberrimæ, præsertim Pariensis, Tolosana, & Louaniensis, confugit ad regulam iuris, quæ ex Beda extat in fine quinti Decretalium, *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Neq; enim dubitandum est in ea necessitate, vel expressam, vel tacitam, concurrere Ecclesiasticæ legis dispensationem, eo quod Pontifex contrariam consuetudinem in ijs locis toleret, nec extirpare posset. Reg. 4.

Illud nihilò minus verum est, si quis in ijs locis communicando & negotiando cum hæreticis sentiat sibi periculum animæ & seductionis imminere, illum per tacitam dispensationem aut per hominum bonorum consuetudinem non excusari, eo quod non in legem Ecclesiasticam, sed in legem naturæ, quæ nullam prorsus dispensationem admittit, grauiter peccet.

Cùm autem iuramentum Antuuerpiæ propositum ea exigat, quæ iure & diuino & naturali prohibita sunt, frustra ad eius defensionem profertur regula iuris Ecclesiastici, *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*

Sol-

Soluuntur duæ obiectiones, vna ex parte protestationis, altera ex parte subintellectæ conditionis, desumptæ.

Caput XXV.

Obiectio XVII. est,

BOni subditi protestantur se non consentire in electionem noui Principis, & in nouum iuramentum, quod per vim extorquetur.

Responsio.

Est protestatio Pilati, qui cùm in Christo nullam causam inueniret, ausus fuit eum condemnare ad mortem crucis, præmissa specie quadã protestationis. Accepta enim aqua lauit manus

Matth. 27 suas, & coram populo dixit, *Innocens ego sum à sanguine iusti huius: vos videritis.* Quasi protestatio aliquid operaretur, vbi protestans facit contrarium suæ protestationi.

Serm. de paßione Domini. Hinc apud Cyprianum legitur, *Frustra funestas iudex manus in prætorio abluis, à sanguine Domini te profitens innocentem. Tu ipse caussam mortis cum diligenter inquisieris, te non inuenisse in eo fateris: ipsa coniunx tua nihil tibi & iusto huic esse mandauerat. Non excusas, sed accusas: caussam tibi facis cum Iudæis communem. Illi se proditione, tu parricidio te condemnas. Illi lingua, tu ferro, occidis: tam te, quàm illos, inauditæ crudelitatis scelus inuoluit. Veniet*

niet anima tua in manus iudicis quem condemnas, fractisque tribunalibus tuis iudicaberis, & demergêris in profundum inferni.

Obiectio XVIII. est,

Quicumque aliquid promittit dato iureiurando, ille intelligitur illud promittere nisi superior velit illud non seruari. Igitur vel tacitè vel expressè sub hac conditione iurari potest.

Responsio,

Multa absolutè promittuntur in quibus illa conditio locum non habeat. In quibusdam autem locum habere nô diffitemur. Cæterùm res illicita, & quæ sine peccato fieri non potest, nô est materia iuramenti. Ideoque ad rem turpem subintellecta, huiusmodi conditio non differt à protestatione Pilati.

Explicatur sententia Aeneæ, Nobis persuasum est armis acquiri regna, non legibus.

Caput XXVI.

Obiectio XIX. est,

Nobis persuasum est, armis acquiri regna, non legibus.

Responsio.

Verissima est hæc Aeneæ Cardinalis sententia. *Duo* inquit, *potentißima regna, Bohemiæ & Hungariæ, eodem tempore rege orbata, ex nobilißimo atque altißimo sanguine ad mediocris generis homines peruenere. Sic Deo placuit: Ludere fortunam dixisset* *In fine hist. Bohemicæ*

dixisset antiquitas. Nos diuinæ prouidentiæ cūcta tribuimus. Vtriusque electionem nonnulli calumniantur, vim adhibitam dicunt, neq; iure valere quod metus extorserit. Nobis persuasum est, armis acquiri regna, non legibus.

Quibus verbis Aeneas non impugnat priorem sententiam, sed significat regna, quæ iure aut secundum leges acquiri debēt, aliquoties non legibus sed armis occupari, & occupatores aut eorum successores, postea veros dominos effici.

Gen. 10. Inter huiusmodi occupatores primus fuit Nemrod, quem Scriptura narrat communi prouerbio dictum fuisse robustum venatorem coram Domino: hoc est, oppressorem & violentum alienorum inuasorem. *Initio libri primi.* Scribit enim Iustinus historicus gentilis: à quo Ninus dicitur, eū primum intulisse bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos ad terminos vsque Libyæ perdomuisse, & magnitudinem quæsitę dominationis continua possessione firmasse.

Eandem viam ingressi sunt veteres monarchæ, Nabuchodonosor, Cyrus, Alexander, & alij, & post eos populus Romanus, qui omnes nō iure, sed armis duntaxat, ac violentia sibi multas subegerunt prouincias. Quamquam plerasque eis non tam eorum arma, quàm Dei voluntas, subegerit: qui propter peccata regna trāsfert de gente in gentem.

Cæterùm cùm Dux Alenconiensis neque armis, neque iure, Ducis Brabantiæ titulum nuper acceperit, (quem ei factiosi aliquot, Deo

Regi

Regi & patriæ suæ hostes, turpiter obtruserũt, vt ad sextam obiectionem est explicatum) non dum bonis viris aliud persuasum est, quàm eũ in Ducatu Brabantiæ, cuius partem per factionem hæreticorum aliquot mẽsibus occupauit, ne vnius pedis terræ dominium aut habere, aut vnquam habuisse.

Quod temporibus persecutionum non sint differenda Concilia.
Caput XXVII.

CAeterùm cum periculosis istis tẽporibus, multi Catholici quotidianis & propemodum inextricabilibus implicentur difficultatibus, dolendum valdè est has difficultates etiam à viris Ecclesiasticis aliquando augeri: dum quidam audenter magis, quàm humiliter, quædam resoluunt licita esse quæ prorsus illicita sunt: & contra, dum ea damnãt, quæ damnanda non sunt: & rursus, dum quidam tam sunt rigidi vt nihil infirmis secundum veniam relaxari velint.

Itaque contra huiusmodi non parua humanæ infirmitatis offendicula, ab ijs, qui in Ecclesijs Dei præsunt, adlaborãdum foret ne Catholicis solidus desit sanæ doctrinæ cibus: ne ijs desit resolutio publica authoritate capta, in qua tuto conquiescere possint.

Non sunt igitur synodalia & prouincialia Concilia ad tranquilla tempora differẽda, sed præsentibus periculis præsentia & oportuna adhibenda sunt Cõciliorum remedia, talia sal

tem qualia inter persecutionum procellas adhiberi possunt, exemplo Stephani Romani Pôtificis & martyris. De quo ad secundum diem

In officio Romano. mensis Augusti legitur, *Vehementius iam ingrauescente persecutione Imperatorum, Stephanus conuocato clero ad martyriũ suos hortabatur: in cryptisque Martyrum assiduè Missas, & Cõcilia celebrabat.*

Quàm benignè eos Apostolica sedes tractet, qui ab extorta confeßione resiliunt.

Caput XXVIII.

CAeterùm quamuis fœdum & horrendũ sit lapsorum crimen, pia tamen mater Ecclesia viscera suarum commiserationũ erga resipiscentes effundit. Vndè multi Episcopi in Arrianismum prolapsi, pristinis suis honoribus & sedibus, iam olim sunt restituti. Et quo maior peccantium fuit numerus, eò vberior fuit Ecclesiæ Dei erga pœnitentes indulgentia, ac potissimum erga eos qui per simplicitatem vel necessitatem falsam fecerant confessionem. Qua de re memorabile extat Capitulum,

Causa 15. quæst. 6. ex epist. 1. Alexãdri. in corpus Decreti relatum, quod hoc loco ad multorum se emendantium consolationem, subijciam. *Ad hanc* ait Pontifex *sanctam sedem perlatum est, quod nonnulli episcopos vel sacerdotes, aut metu compellunt, aut vi extorquent, aut fraude decipiunt, aliquas confeßionis suæ in alteram partem quam debeant, aut pro suarum non requisitione rerũ,*

aut

aut quod deterius est, pro alieni erroris secta scripturas facere & proprijs manibus roborare, ac coram populis recitare & confiteri. Si huiusmodi personis quadam scripturæ, quoquo modo per metũ, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel vt se liberare poßint, quocunq; ab eis conscriptæ vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præiudicium, aut nocumentum prouenire censemus, neq; vllam eos infamiam vel calumniam, aut a suis sequestrationem bonis, vnquam authore Deo & sanctis Apostolis, eorumq; successoribus, sustinere permittimus. Confeßio verò in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet. Nec tantùm attendenda sunt quæ fiunt, quantùm quo animo fiant. Amplius autem respicit Deus ad cogitationes & spontaneas voluntates, quàm ad actus qui per simplicitatem vel neceßitatem fiunt. Confeßio ergo in talibus non extorqueri debet, sed potius sponte profiteri. Peßimum est enim de suspicione aut extorta confeßione quemquam iudicare. Non potest autem humano condemnari examine, quem Deus suo reseruauit iudicio.

De catholici Principis clementia erga rebelles ad Catholicam redire volentes.

Caput XXIX.

EAdem est Philippi secũdi Catholici Regis erga subditos suos, qui ad Catholicam Ecclesiam redire volunt, quantumcunq; horrenda & flagitiosa commiserint peccata, beni-

gnitas & clementia. Quod nō tantùm frequentia eius testantur edicta: nec tantùm capita aliquot eius fauore reconciliata, sed multæ ciuitates, & populi, eius prudentia ac clementia ad obedientiam Dei & suam, à quibus seducti cespitauerant, iam pridem reducti. Nouit enim optimus Princeps illud Sapientis, *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius.*

Prou. 20.

Ad Vuencеslaum Ducem. Et pulchrè ad vnum ex maioribus eius Ioannes Caligula, ciuis meus, ante ducentos annos scripsit:

Princeps illustris, qui se volet esse potentem,
Rex, Dux, siue Comes, animos domet ille feroces,
Non stabile est regnum quod non clementia firmat,
Inter virtutes pretiosa columna Ducatus,
Imò basis, si iustitia det basia grata.
Hæc docet vt pœnis hominum, vel sanguine, pasci
Turpe ferumq; putet Princeps, & parcere discat,
Defendat viduas, miseros soletur, egenos
Sustentet pascat inopes, foueat q; pupillos.
Hæc docet, vt miseri lacrymas, incommoda, casus,
Iudicet esse suos.

W INDEX

INDEX SCRIPTVRARVM QVAE IN PRAECEDENTIBVS QVINQVE Libris explicantur.

tes introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus. *lib.4.cap.12*

4.Reg.*14.Facta est contra Amasiam coniuratio in Ierusalem.* *lib 4.cap.12.*

2.Paral.*21. Lobna recessit, ne esset sub manibus Iudæ. Dereliquerat enim Dominum Deũ.lib.4.ca.12*

Iudith *11.Hæc mihi dicta sunt per prouidentiam Dei.* *lib.5.cap.17*

Psal.*14, Qui iurat proximo suo, & non decipit. lib.4.cap.8.*

Prou.*9.Mulier stulta & clamosa, plenaq; illecebris, & nihil omninò sciens.* *lib.1.cap.24*

Prou.*17.Non decet Principem labium mendax. lib.1.cap.2*

Baruch *1.Orate pro vita Nabuchodonosor, vt viuamus sub vmbra eius.* *lib.5.cap.19*

Ezech.*16. Auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* *lib.1.cap.4*

Dan.2.*Suscitabit Deus regnum, quod consumet omnia regna hæc.* *lib.1.cap.22*

*1.*Mach.2.*Quicunq; venerit ad nos in bello, die sabbathorum pugnemus aduersus eum.* *lib.5.cap.24*

*1.*Mach.8. *Et misit Iudas Romam, constituere cum illis amicitiam & societatem.* *lib.1.cap.21*

Matth.*14.Contristatus est rex proter iuramentum.* *lib.1.cap.12. lib.2.cap.7*

Matth.22.*Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. lib.4.cap.14.* *lib.5.cap.3*

Matth.*27.Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* *lib.5.cap.25*

INDEX

INDEX RERVM QVÆ IN LIBRIS QVINQVE PRAECEDENTIBVS CONtinentur.

A.

B.

C.

tributio-

hic

Tyran-

Theologorum Louanienſium
cenſura.

Libros ſequentes, nempè de Fide hæreticis ſeruanda quatuor, de Iuramento quod a Tyranno exigitur vnum, de Canonicis tres, de Pÿs teſtamentis vnum, orationem de Agnis Dei, & Bibliothecæ Theologicæ, Indices quatuor, Iudico magna cum vtilitate Reipub. excudi poſſe. Louanÿ Anno 1582. Iulÿ 29.

Guilielmus Eſtius.

Liber hic, quæ fides hæreticis ſeruanda ſit, & quæ non, potiſſimùm complectens, admodum dignus cenſetur vt in lucem prodeat, multorumque manibus euoluatur. Coloniæ 25. Maij. 1584.

Ita teſtor Iacobus Coemans ab Horſt, Sacræ Theologiæ Doctor, ac Scholaſter Gandanen.



ERRATA ſic corrige,

Pagina 9. verſu 9. fœderum. pag. 12. in margine Ariſt. pag. 37. verſu 20. duceret. pag. 42. ad marginē nouella. pag. 119. verſ. 4. à fine, nomine. pag. 131. verſ. 7 à fine cap. XI pag. 141. verſ. 27. Principe. pag. 154. verſ. 3. à fine deprompta. pag. 155. ver. 7. tentatis. pag. 167. verſ. 14. vſurpans.

FINIS.